633.10 223

Auſpice DEO

Auctoritate & Indultu Magnifici JCtorum in Illuſtri Salana Ordinis,

PRÆSIDENTE

VIRO

Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Conſultiſſimo atq; Excellentiſſimo

DN. GEORG-ADAMO STRUVIO,

JCto & Anteceſſore hic loci celebratiſſimo, Conſiliario Saxonico graviſſimo, Curiæ Provincialis & Scabinatus Aſſeſſore meritiſſimo, Inclutæ Facultatis ſuæ Seniore, & h. t. Decano ſpectatiſſimo, Doctore ſuo atq; Mæcenate, ſummo obſervantiæ cultu æternùm devenerando.

JURA VIÆ REGALIS,

Publico Eruditorum examini ſubmittit

JOHANNES GEORGIUS Frantz/

VRATISLAVIENS.

Autor.

Ad d. M. Januar. M. DC. LXII.

In Delubro Themidi Sacro.

1872

JENÆ

Literis JOHANNIS NISII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Theſis I.

Ectè Philoſophari illos, qui omnia ad ſua redigunt principia, non ſolum Metaphyſicorum, ſed & veram Philoſophiam non ſimulatam affectantium JCtorum *l. 1. §. 1. ff. de J. & J.* concors eſt ſententia. *l. 1. ff. de O. J. l. 8. in pr. ff. Mandati.* Hinc, qui periculum ad pulpita diſcentium facturus viam Regalem percurrere decrevi, è receſſu duxi *l. 1. pr. ff. de Reb. cred.* ante omnia in Natales noſtræ vocis inquirendum. Has verò reperimus celebratiſſimas: Romana enim nata eſt, & Ingenuitatis ſuæ Tacitum, Ciceronem; Terentium & tantum non omnes ſeculi Latinioris ſcriptores aut aſſertores habet, aut teſtes. Eam Varro *1. de Re Ruſt. & lib. 4. de L. L.* â vehendo dictam eſſe quaſi veham, ſcribit. Continuo emm vehiculorum ductu via efficitur. Vid. Cujac. *in Recit. Solemn. ad l. 13. ff. de Servit. in fin.* Gothofred. *in Not. ad l. 1. verb. Via ff. de S. R. P.* Joh. Calvin. *Lex. Jur. in voce Via.*

Via Etymologia.

II. Cum autem juxta Conſulti monitum in *l. 236. ff. de V. S.* ambigua ſint deſtingvenda, quadrupliciter vocem hanc accipi notamus. I. Sumitur figuratè pro Ratione *l. 21. §. 6. ff. Quod met. cauſ.* Sic Tacit *1. 54. 4.* viam morum, & *2. 6. 2.* vias præliorum dixit. II. Servitutem denotat *l. 1. ff. de S. R. P. pr. J. eod. l. 2. §. 23 ff. Ne quid in loc. publ. vel itin.* III. Innuit viam omnibus communem per agros ad vicum ducentem *d. l. 2. §. 22. eod. l. 3. ff. de Loc. & itin. publ.* IV. Senſu huic loco conveniente pro via Regali accipitur. *d. l. 2. §. 22.*

Homonymia.

III. Et ſecundum has ſignificationes quoque dividuntur Viæ, quod aliæ ſint Vicinales, aliæ Privatæ, aliæ Regales ſive Publicæ. *d. l. 2. §. 22.* Viæ Vicinales ſunt, quæ in vicos, vel in

Diviſio.
Via Vicinalis quo ducat.

Digitized by Google

in aliam viam militarem ducunt, aut ſine ullo exitu intermoriuntur *l. 3 ff. de loc. & itin. publ.* & hæ quando ex collatione privatorum ſunt conſtitutæ, in privatarum *l. 2. §. 22. ff. Ne quid in loc. publ.* Quando vero factæ collationis memoria non extat, in publicarum ſunt numero *l. ult. pr. ff. de Loc. & itin. publ.* Arniſæus *de J. Majeſt. lib. 3. c. 5. n. 1.* Vid. Schneidew. *ad rubr. Inſt. de S. R. P. n 22. & ſeq.* & Beſold. *de Jur. Rer. fol. 15.* Licet etiam ex privatorum collatione reficiantur, non utique tamen ob id ſtatim privatæ ſunt; refectio enim idcircò de communi fit, quia uſum utilitatemq́ue communem habent. Petr. Frid. Mindan. *Tr. de Interdict. Tit. 3. n. 8.*

quæ Privatæ.

Privatæ viæ dupliciter ſumuntur, vel propriè pro iis, quæ jure Servitutis, agris impoſitæ ſunt alienis, quò ad agrum alterius ducant *l. 2. §. 22. & 23. ff. ne quid in loc publ.* vel impropriè eas denotantes quæ ex publica via in agros vel ſylvas quidem ducunt, ſed per quas omnibus commeare licitum, dicuntur vulgò Agrariæ, Holtzwege/ Feldwege/ & has ipſas quoque eſſe publicas autor eſt Ulpianus *in l. 2. §. 23. Ne quid in loc. publ.* Add. Magnificus, Nobiliſſimus atq; Conſultiſſimus Dn. D. Struvius, Patronus meus atq; Præceptor ætatem ſuſpiciendus, *Synt. Jurispr. Ex. 43. th. 56.* & Manzius *in Tr. de Servitut. Tit. de S. R. P. n. 103.*

quæ Publicæ ſ. Regales.

Publicæ viæ ſunt quæ exitum habent vel ad mare, vel in urbem, vel in flumina publica, vel ad aliam viam militarem *l. ult. §. ult. ff. de Loc. & itin. publ.* Add. Sichmann. *Specul. Imp. Roman. c. 14. n. 32.*

Rejicitur diviſio Flacci.

Et hac diviſione contenti, rejicimus opinionem Siculi Flacci, qui in *lib. de Cond. Agror.* inter ipſas vias Regales diſcrimen agnoſcit, alias Regales, alias minus tales nominans: Omni enim penitus hæc ejus deſtituta eſt aſſertio fundamento, & dum laureolam in muſtaceo quæſivit nil profecturum inde lectorem erroneâ oneravit diſtinctione. Non videre enim poſſum unde ex *l. 2. §. 6. ff. Ne quid in loc. publ. & l. 18. §. 1. ff. de Aqua & aqua pl. arc.* quas pro ſtabilienda ſua allegavit ſententia, legitimam arceſſere velit conſequentiam.

Loquimur de viis extra Civitatem publicis.

IV. Sermo vero hic noſter ad vias, non in urbe ſed extra civitatem publicas dirigitur; quæ enim Civitatis alicujus aut Reip. abuſivè publica ſunt, *l. 15. & 16. ff. de V. S.* & ſolum inter publi-

publica habentur *l. 17. eod.* Conf. Mindan *de Interdict. tit. 3. n. 3.* Deſideria alicujus de viis in urbe publicis & earum Magiſtratibus, quos Viocuros Varro appellat, exſatiare poterunt Magnificus Dn. Struvius. *Ex. 45. th. 75. & ſeq.* Weſenbec. *in Tit. ff. de via publ. & ſi quid & ibi* Nobiliſſimus Dn. Hahn. Meierus, *Coll. Argent. in d. t.* Mindan. *de Interd. Tit. 4.*

Synonymia.

V. Nomina apud diverſos via noſtra ſortita eſt diverſiſſima. Græci eam vocarunt βασιλικὴν, Regiam ſive Regalem (*h. e. viam qua omnes commeant, ut loquitur Nepos in Eumen 8. 5. amplam & magnam*) Romani, Prætoriam (*quâ voce illa tantum inſigniebatur, quæ in caſtris ad Prætorem ducebat, poſtea verò etiam ad viam publicam hoc nomen tractum*) alii Conſularem item Militarem (*à milite qui à Conſule vel Prætore per eam ducebatur*) *l. 2. §. 22. ff. Ne quid in l. p. l. ult. §. ult. ff. de Loc. & itin. publ.* Quibusdam in locis cluunt nomine Heidenſtraſſen / ab Ethnicis ſeu Paganis à quibus vias militares ante Chriſtum natum ſtratas vulgus credidit, teſte Miræo *in Codice Donation. fol. 87.* Ab aliis aliter uſurpatur. Vid. Oetinger. *de Jur. & controv. Limit. l. 1. c. 9.* Joh. Camman, *de J. Majeſt. D. 5 th. 32.* Nobis dicuntur Imperatoriæ freye Käyſerliche Heerſtraſſen / freye Reichsſtraſſen / Landſtraſſen. Add. Magnificus Dn. Præſes *Syn. Jur. Ex. 45. th. 56.* Meier. *Coll. Argent. ad Tit. ff. de Loc. & Itin. publ. n. 5.* Vinn. *Comm. ad J. §. 5. de L. Aquil.* Zoeſius *C. ad pr. J. de Servit. n. 8.* Schnobel, *D. Feud. 4. n. 18.* Mindan. *de Interd. Tit. 3. n. 4. 5. 6. & ſeq.* Arniſæus *de J. Maj. lib. 3. c. 5.* Chriſt. Beſold. *Theſaur. Pract. in voce* Landſtraſſen.

Derivatio Banni.

VI. Andreas Gaill. *lib. 2. de Pac. P. c. 1. n. 12.* Viam Regalem vernaculo Idiomate nominat Bann; & inde quod ad Germanos attinet Bannum derivari poſſe autumat, quod amittant Banniti Bannum Imperii, hoc eſt, territorium ſive viam Regiam, id eſt, libertatem & ſecuritatem viæ Regiæ, commerciorum & commeandi: Daß ſie ſich des heiligen Reichs Bann und Straſſen nicht gebrauchen dörffen: Proſcriptorum enim loco habentur & ab omnib9 impunè offendi poſſunt Sed Q. hic. An mulier Bannita adulterari impunè queat? Quod Negamus per ea quæ tradit Bald. *in l. ſi. n. 9. C. ſi contr. jus vel utilit.*

Conf. Jul. Clar. *in §. homicidium n. 56. & ibi* Bajard. *n. 125.* An v. Bannitus ſalva conſcientia â quolibet occidi? Vid. apud. Beſold. *Comm. ad l. 3. ff. de J. & J. quæſt. 7. &* Borell. *de Magiſtr. 3. c. 6.*

Deſcriptio.

VII. Deſcribimus viam Regalem cum Ulpiano *in l. 2. §. 21. ff. Ne quid in loc. publ.* quod ſit cujus ſolum publicum eſt, relictum ad directum certis finibus latitudinis ab eo, qui jus publicandi habuit, ut ea publicè iretur commearetur.

Requiritur ad viam Regalem.
Solum publicum.

VIII. Requirit JCtus ad viam Regalem 1. ut ejus ſolum ſit publicum: Non ſtatim enim Via Publica dicitur, qu. ab omnibus per aliquem locum publicè commeatur, & pro communi publicoque ejus habetur uſus: ſed neceſſe inſuper eſt ne ſolum & proprietas ſit privatorum. Schnobel. *D. Feud. 4. th. 9.* hoc ipſo n. diſcernitur â via privata, quod ſolum habeat publicum, cum privata privatum. *l. 2. §. 21. ff. ne quid in loc. publ. & ibi* Gothofr.

Certa latitudo.

II. ut ſint ad directum (*nec non ad anfractum ſive flexum*) certi fines laditudinis. Horum ſpatium olim ex L. XII. tabb. in porrectum octo pedum erat in anfractum ſexdecim *l. 8. l. 13. §. 2. & 3. ff. de S. R. P.* Nobiliſsimus Dn. Strauch, *Diſſ. 7. Aph. 7. in fin.* Hilliger, *lib. 11. c. 13. litt. c.* Rebhan. *Hod. J. Ch. 2. Clim. 2. par. 11. n. 3.* Rittersh. *Comm. ad J. pr. de Servit.* Ræyard. *ad L. XII. tab. c. 14.* Pes autem dicitur XV. digitorum ſecundum *gl. in c. ſicut 17. q. 4.* Add Cœpoll. *de S. R. P. c. 3. n. 4.* Hodie definitur latitudo ſecundum conſvetudinem vel ſtatuta loci illius qui debet viam *l. 3. C. de Ædific. priv.* quæ ſtatuta ſi nulla appareant, tunc Dominus civitatis; vel populus, vel eam regentes latitudinem definire poſſunt *l. 3. §. 4. ff. Quod vi aut clam.* Jung. Cœpoll. *d. l. n. 6.* Noviſſimo jure via Regalis debet eſſe latitudinis octo pedum, ut eſt *text. in art. 130.* Weichbild: Landſtraſſen die ſollen zu Recht haben l. in die Weite acht Füſſe; vel ut habetur in Landrecht *Art. 59. lib. 2.* Des Königsſtraſſe ſoll ſeyn aſo breit/ daß ein Wagen dem andern Wagen weichen möge. Latior viarum in Regno Galliæ habetur menſura; ibi enim, teſtante Joh. Butillerio *in ſumm. Rurar.* ea ſemper conſtitutio viarum fuit, ut in agris via Regia non minus, quam XL. pedes ferret, hodieque XXXVI. ad minimum

eam

eam eſſe pedes, neceſſe ſit. In quo tamen variatum ſæpè fuiſſe in Provinciis, prout popularibus locorumque incolis viſum ſcribit Turon: *Conſuetud. Art. 59.* Adde. Ant. Mornac. *in Obſ. ad l. 8. ff. de S. R. P.*

Expediunt Urbi viæ arctæ.

IX. Quæritur hic; An expediat Urbi ut viæ ad eam ducentes ſint amplæ? ℞ Negando: Ad decorem enim magis quam defenſionem idoneam eſſe viarum latitudinem unicuique facile patere autumo. Bodinus quidem *l. 5. c. 5. de Rep.* & Machiavell. *2. Diſſ. c. 24.* tanquam pro aris & focis omnia oppugnant urbium munimenta, ſed an prudenter ſatis, rerum militarium experti judicio relinquo. Meam ſententiam confirmo, tum auctoritate Curtii, qui *lib. 7. c. 11. §. 1.* Petram illam quam Arimazes Sogdianus obtinebat, locum potitu difficilem nominat, quoniam ſemita perangusta adibatur; tum quod ipſa Natura munitiones & docere & ſvadere videatur: illa enim beſtiis ſua decrevit luſtra in quibus tuto vivunt Veget. *l. 3. de Re Milit. c. 1.* & aves in ſecurioribus locis ſuos nidos conſtituere facit, *Tholoſ. de Rep. c. 1. Saavedra Symbol. 79.* Immo quasdam urbes, & paludibus, montibus & fluminibus ipſa munit Veget. *lib. 4. c. 1.* Sic Hieroſolymam non tantum arte verum etiam Natura munitam, teſtatur Joſeph. *l. 6. c. 6.* Conf. Cæpoll. *de S. R. B. n. 6.*

Pertinent ad Regalias.

X. Hinc cum magna ſemper viarum habita ſit cura, inſignisque earum ab omni ævo fuerit præſtantia, quemadmodum olim in populi; ſic deinceps in Principis relatæ ſunt poteſtatem atque eo ipſo ad Regalia. Et quamvis Bodinus *1. de Rep. c. ult. n. 170.* eas ad Jura Majeſtatis pertinere neget, Regalibus tamen annumerandas eſſe Dd. omnes in *c. un. quæ ſint Regalia*, aſſerere ſcribit Roſenthal. *c. 5. de Feud. con. 20. litt. D.* quem ſeqvuntur Vultei. *c. 5. de Feud. n. 7.* Joh. Bidemb. *Nob. quæſt. 12. n. 3.* Niell. *D. Feud. ult. th. 4.* Rennem. *Diſſ. 6. Juriſpr. Juſt. th. 26. a.* Bocerus *c. 2. de Regal. n. 144.*

Minora.

XI. Sed quibusnam Majoribusne an Minoribus? de eo valdè controvertitur. Bocerus *d. c. 2. n. 164.* Majeſtatis, ut vocat, ſeu Majoribus Regalibus vias publicas ideò annumerandas putat, quoniam Imperator Cives Romanos & cujusq;

Terri-

Digitized by Google

Territorii Magiſtratum, ut vias muniant & incolumes præſtent, cogere poſſit, *l. 7. C. de SS. Eccleſ. l. 4. C. de Priv. Dom. Aug. N. 131. c. 5.* Add. Hotomann. *ad c. un. 2. F. 56.* Gail. *2. de P. P. c. 8. n. 13. & 2. Obſ. 64. n. 4.* Aliter ſentiunt Gædd. *D. F. 5. th. 11.* & Vultej. *c. 5. de Feud. n. 7.* qui non tantum quoad curam & ſecuritatem ut Bocerus & ibi allegati, ſed etiam quoad Jurisdictionem & ſupremum Dominium ad Majora pertinere Regalia vias publicas ſtatuunt, ſed reprehenduntur hi á Bocero *d. l.* Alii ex ipſis nominibus, quibus modò Illuſtris, modò Privilegiata via hæc indigitatur, eam Majoribus annumerari Regalibus probare conantur; Sed verior eorum eſt opinio, qui ad Minora eas referunt. Vid. Magnificus Dn. Præſes *S. J. F. c. 6. Aph. 23.* Dn. D. Ludwell. *in Synops. Feud. c. 13.* Gothofr. Antonii. *D. Feud. 3. th. 7. litt. c.*

Quomodo ad ea referantur.

XII. Quomodo verò his annumerentur iterum diſputant Dd. Putant nonnulli eas in Dominio, patrimonio, liberrimâ poteſtate & omnibus numeris abſolutâ proprietate Principis eſſe, atque hoc modo ad Regalia referri. Alii affirmant vias quidem univerſim conſideratas in Dominio Imperii eſſe & Cæſaris, ſed ſi ad ſingulas reſpiciatur, in proprietate ejus, cujus territorium tranſeunt. Mindan. deniq; *Tr. de Proceſſ. Mand. l. 2. c. 36. n. 6.* vias publicas reſpectu Jurisdictionis pro Regalibus haberi autumat.

XIII. Nos ita jure regalium vias haberi dicimus, quo aliæ res, quæ jure Roman. publicæ dicuntur, hodie ad Principes ſpectant. Sicut enim olim viæ publicæ erant populi, quoad uſum vero ſingulorum *vid. tit. d. via public. & ne quid in loc. publ.* Ita quoque hodie non tantùm quoad Jurisdictionem, ſed etiam quoad proprietatem & quoad utilitatem inde provenientem inter bona Imperii publica publicæ viæ numerantur *2. F. 56.* unde licet quidam velint, quod cui Regale viæ competit, poſſit, licet uſus ejus non fiat deterior, nec ullo modo impediatur, tranſeuntibus & eâ uti volentibus hunc uſum prohibere, quemadmodum tradit Sixtin. *lib. 2. de Regal. c. 2. n. 28.* Conf. Cæpoll. *de S. R. P. c. 3. n. 27.* Juri tamen & æquitati convenientius puto, nemini ſine juſta cauſa adimi poſſe, commeandi faculta-

Digitized by Google

facultatem, vid. Schnobel *D. Feud. 4. th. 19.* reſtringere tamen illam & certas ei addere conditiones, dubio caret. Jung. Mindan. *de Interd. Tit. 3. n. 78.*

Dominus Viarũ quis cõſtituitur, vel ex conceſſione.

XIV. In ſolius Regalia poſſidentis Principis poteſtate Vias Publicas eſſe, jam dictum eſt: ſequitur itaque, ut, quomodo earum alii etiam conſtituantur Domini, proferamus. Duplici autem hoc fit modo; vel ex conceſſione illius expreſsâ, qui primariò Regalia poſſidet, (in generali enim conceſſione nunquam intelliguntur Regalia conceſſa. Magnificus Dn. Præſes *S. J. F. c. 6. Aph. 23. n. 2.* Wurmſer. *Ex 3. Q. 10.* Schneidw. *ad Tit. de Interd. pr. n. 67.)* vel ex Præſcriptione. Magnificus Dn. Carpzov. *J. For. P. 2. Conſt. 53. d. 1. n. 13.* Arniſæus *de J. Maj. l. 2. c. 2, n. 3.* Schneidw. *ad §. 1. J. de Interd. n. 66.*

Regalia poſſidentis.

XV. Conceduntur Regalia à ſumma & ſola Majeſtate Imperatoris, Roland à Valle *Conſ. 100. n. 3. 4. 5. & ſeq. Vol. 4.* Pet. Heig. *Quæſt. 2. n. 7.* Knich. *de Avtocr. n. 1076. & ſeq.* atque Imperii, in certâ Provinciâ jure Superioritatis per Inveſtituram Feudalem Principibus; hi rurſus nobilibus aliisve jure feudi quædam Regalia conferunt: non quidem quatenus Regalia, ſed ut Privilegia, vel etiam ut uſum ſolum & delatam quis habeat adminiſtrationem ejus, quod jure Superioritatis Principibus competit; & ita nobiles immediati ab Imperatore, ita mediati ab Imperii Statibus per Inveſtituram vias tenent, & quo modo ſunt in Patrimonio Principis, ita deinceps ad ceſſionarium Vaſallum pertinent.

per Inveſtituram Feudalem.

Hanc ceſſionem impugnantibus.

XVI. Sed ceſſionem hanc impugnare videtur, quod Regalia in feudum ſalvâ Majeſtate dari non poſſint; quia partes à toto integro toto nequeunt abſcindi; Et JCtis Majeſtas Individua dicitur, Cyn. *in l. ſi viva C. de bonis matern.* Ang. Bald. *in l. omnes C. de Præſcript.* Superioritas enim eſt de eſſentia Principis, eique medullitus adhæret, Corſet. *de poteſt. reg. part. 1. q. 4.* Don Gars Maſtril. *de Magiſtratibus l. 3. c. 2. n. 26.* Car. Molin. *in Conſv. Pariſ. tit. 1. §. 2. gl. 4. ſub num. 16.* Covarruv. *Pract. Quæſt. c. 4. circ. pr.* Verùm Reſpondetur; Feudalis conceſſio non eſt abdicatio plena & abſoluta translatio, ſed rem in feu-

Reſpõdetur.

dum concedens, nihilominus ſibi ſuperiorem retinet poteſtatem: ſalvâ igitur Majeſtate ſummâ per Inveſtituram Feudalem Principibus Regalia conferuntur; præſertim cum Principes, licet reſpectu ſuarũ Provinciarum ac Territoriorum analogam Majeſtatem habeant, reſpectu tamen ipſius Imperii Imperatori ſint ſubjecti. Magnificus Dn. Præſes. *S J.F. c.6. Aph.13.* Wurmſer. *Ex. 3. Quæſt. 14.*

Semper Imperator retinet Reſervata.

Eorum Varia Appellatio.

XVII. Prætereà etiam in omni conceſſione jura quædam, ſoli Imperatoris Majeſtati in ſignum ſupremæ poteſtatis cenſentur Reſervata *c. dudum. §. hoc igitur in præbend. in 6. l. inquiſitio & ibi Dd. C. de Solutionib.* Sixtin. *1. Regal. c. 5. n. 3. & ſeq.* Mart. *de Jurisdictione p. 4. caſ. 196. n. 6. & ſeq.* Cacheran *deciſ. 170. n. 3.* Roſenthal. *de Feud. c. 8. concl. 15. n. 3.* Decian. *Conſil. 123. n. 25. Vol. 3.* unde etiam appellantur Keyſerliche beſondere Hoheiten und Reſervaten / *in Receſſ. Imp. de A. 1576. §.* dadurch dann Molin. *d. l. § 1. gl. 5. n. 55.* Cacharan. *deciſ. 29. n. 5.* Roland. à Valle *Conſ. 42. n. 32.* item ſacra ſacrorum Bald. *in c. intellect. de Jurejurand.* in quæ nemo intromittitur præterquam ſolus Imperator Natt. *Conſ. 636. n. 169. & ſeq.* & relicta Hippol. à Lapid. *in Rat. Stat. P. 1. c. 16.* vocantur etiam die Römiſche Käyſerliche Macht und Vollkommenheit *A. B. c. 3.* R. A. zu Speyer *de Anno. 1529. ſub tit.* Käyſerliche Conſtitution wie Brüder und Schweſter Kinder. Annumerat his Paris de Puteo *in Tr. de Synd. verb. de Except. Baron. erga ſubdit. c. 1. n. 12.* omnia jura Majeſtatis majora, quæ ibi merè Regalia vocat, & oſſibus Principis adeò cohærere dicit, ut eorum uſus abſque Majeſtate vel Superioritate eſſe nequeat, Add. Magnificum Dn. Carpz. *de Leg. Reg. Germ. c. 15. ſect. 2. n. 20. & ſeq.* Menoch. *Conſil. 604.* Sixtin. *de Regal. c. 2. n. 2.* Et quidem Majora Regalia Imperatori eſſe propria affirmat Arniſæus *Tr. de J. Maj. L. 2. c. 2. n. 2.* ita ut ſubditis non poſſint communicari, Rebusp. verò hæc jura Majeſtatis ferè omnia concedi, *ibidem n. 3.* ſcribit. Cui quoque adſtipulatur Paurmeiſt. *de Jurisd. Imp. Rom. lib. 2. c. 2.* Qui Jurium Majeſtatis ſemiſſem habere Cæſarem ex multis Comitiorum Receſſibus probare nititur. Exempli loco Arniſæus inducit Extremam Provoca-

tionem.

tionem, Poteſtatem ferendarum legum, jus conſtituendæ Religionis, jus Comitiorum, jus cudendæ monetæ & alia ſumma ſummæ Majeſtatis jura.

XIIX. Nos neque opinionem Paridis de Puteo, qui Imperatori plura attribuit, neque Arniſæi, qui juſto plura ipſi detrahit, probantes, diſtinguimus inter Superioritatem Imperialem & abſolutam, quæ in Univerſali totius Imperii Jurisdictione fundata eſt, & inter Superioritatem Territorialem, quæ in certa alicujus diſtrictus Jurisdictione & Imperio fundata eſt; illa duntaxat conceſſionis neſcia eſt, quia ſocium non patitur. Quamvis enim jura quædam poteſtatis Majeſtaticæ penes alios etiam ſint Principes; ſumma tamen & unica Majeſtatis Superioritas Solius Imperatoris deſervit throno: Cum enim Imperium noſtrum in generali complexu conſideratum, ſpectatâ partium relatione ad totum, magna quædam ſit civitas & una Reſp., ejus vero ſingulæ partes ſeparatim conſideratæ, peculiares & plures quodammodo ſint Reſp. Magnificus Dn. Præſes *S. J. F. c. 1. Aph. 6.* pacis profectò intereſt ad unum omnem poteſtatem conferri Tacit. *Hiſtor. 1.1 2* & neceſſe huic Reip. per unum conſuli *l. 2. §. 11. ff. de O. J.* Ita ut licet Principibus analoga ſit Majeſtas reſpectu ſuorum territoriorum, reſpectu tamen ipſius Imperii Imperatori ſint ſubjecti. Neque Imperator, aliis Jura Majeſtatis concedens aliquid exinde detrimenti capit, uti errat Arniſæus ſupr. citat. Quemadmodum enim Sol licet omnia radiis ſuis illuſtret, illuſtri tamen ejus fulgori nihil decreſcit, ſed unus idemque in eo ſemper admiratur ſplendor; ſic etiam de fulgore throni Cæſarei velut ex ſole radii, ita cæteræ prodeunt dignitates, ut primæ lucis integritas minorati luminis non ſentiat detrimentum, ut verbis utar elegantiſſimis Glorioſiſſimi Friderici II. *in Form. de J. & Privil. Juris in Imper. ap.* Goldaſt. *Tom. un. Conſt. Imp. p. 305.* Add. Reinking. *de R. S. & E. lib. 1. cl. 5. c. 6.* & Limnæus *de J. Publ. l. 2, c. 9.*

XIX. Sed quid ad hoc Aulæ Papalis aſſeclæ? Papam hi *Pontificiorũ*
pro ſummo Principe agnoſcunt, Covarr. *c. alma mater pag. 1.* *opinio.*

Digitized by Google

§. 1. n. 4. Sent. excommunicat. lib. 6. hunc eſſe Dominum Dominantium & Regem Regum, cui univerſus orbis miniſtrat, Marta *de Idiſt. pag. 1. c. 20. per tot. & mult. ſeq.* omnes uno clamitant ore, & quantum Sol Lunæ aurum plumbo, anima corpori præſtat, tantum etiam Papam præſtare Cæſari nugantur *c. ſolitæ §. præterea de Maiorit. & Obed. c. duo ſunt, cum ſeq. diſt. 96.* Summamque Majeſtatem & Summa Regalia ad eum pertinere ſtatuunt, Marinus Freccia *de Subfeud. c. 1.* Chronic. Neapol. *c. 4. gl. ad Clem. paſtoral. in pr. de ſent. & re judic.* Villan. *l. 2. c. 9.* Volaterran. *lib. 3. Geograph.* Sigon. *lib. 4. Hiſtor. Ital.* Add. Bocer. *de Maj. Crim. c. 1. n. 30.*

Refutatur. Verum cum Chriſti Regnum non ſit de hoc mundo, *Joh. 18. verſ. 36.* Vicarii quoq; ejus Pontificis eſſet, exemplo Salvatoris noſtri & Apoſtolorum populum docere, non vero ſeſe ſecularibus immiſcere negotiis Meiſn. *Theolog. Tr. de LL. lib. 4. Sect. 2. q. 2.* Quemadmodum enim Pater Chriſtum miſit, ita & hic miſit diſcipulos *Joh. 20. v. 21.* Frid. Balduin *de Conſcien. lib. 4. c. 4 caſ. 2.* Hinc Fridericus I. Hadriano IV. Papæ ad Epiſtolam illam, in quâ ſe erepturum ipſi Imperium minabatur, perbellè reſpondit, ut potius de ſectandis veſtigiis Petri, ac portanda cruce Domini, quam de Regnis tradendis, adimendis & transferendis cogitet, Cunrad. Ritterſch. *in Vita Frider. I.* Jung. Ferrar. qui Pontificius quamvis hanc tamen Papæ regnandi cupiditatem improbat, in ſua *Praxi Form. in act. confeſſor. pro Servitut. in verb. plenam & omnimodam, colum. 1.*

Penes ſolum Imperatorē eſt ſumma Majeſtas. XX. Summam Imperatori attribuunt Majeſtatem, non ſolum Divini Patres, quorum animi procul ab adulatione erant procul â falſis opinionibus; Ita enim Optatus *contra Parmen.* Super Imperatorem, inquit, non eſt niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem: Et Chryſoſtom. *in Hom. 2. ad Pop. Antiochenſ.* vocat Imperatorem Summitatem & caput mundi, & qui parem ſuper terram nullum habet. Add. Tertull. *in Apolog. contra Gentes, & ad Scapul.* Ambroſ. *in Apol. David. c. 4. & 10.* Hieronym. *Ep. ad Ruſt.* Sed etiam ipſum jus Pontificium: Poteſtatem enim & Jus eligendi Pontificem Romanum & ordinandi

Digitized by Google

nandi Apoſtolicam ſedem, & creandi Archiepiſcopos ad ſo-
lum Imperatorem pertinere ſtatuit, *Can. Hadrian. Papa Ro-
man.22. & can.ſeq. diſt. 63.* Jam cum ſemper minorem â Majore
eligi teſtis ſit experientia, minorem quoque Imperatore eſſe
Papam, rectiſſimè concludimus, & hinc nihil majus nihilque
ſanctius Imperiali Majeſtate *l.fin.C. de LL.* Eamque ſummo-
rum Regalium ſummum ſolumque exiſtere Dominum, qui
neque ſuperiorem, neque parem pati poteſt. Non ſuperio- *quæ ferre*
rem, quia perderet definitionem Majeſtatis, quæ eſt, omni- *poteſt Neq;*
bus eſſe ſuperiorem omniaque poteſtate ſua ambire & regere *ſuperiorem.*
Arniſæus *de J.Maj.l.2.c.2.n.2.* Si enim quis omnibus Impe-
ricare vult, ſequitur ut omnes cæteri ſervitutem accipiant, ut
loquitur Caractacus apud Tacit *12.37.2.* Nam Superioritatis
non datur Superioritas, ſupra quam nullus exiſtimatur aſcen-
ſus, Andr. Knich. *de Sublim. & Reg. Territ. jur.c. 5.n. 70.* ſicut
nec lucrum lucri Marc. Ant. Peregr. *de J.Fiſci lib. 6. tit. 7.n 30.
& ſeq.* nec ſervitutis ſervitus *l.1.ff. de Uſu & Uſufr.* nec Com-
modum Commodi *l.2. §. ſi indemnitas ff. de Admin. rer. ad Civ.
pert.* Non parem pati poteſt, quia quodammodo ſuperiorem *Neq; parem*
habere videtur is, qui ejusdem Imperii ſocium habet, *l.30. ff. de
O.& A.l.28.ff. Comm. Divid.l.26. de S.U.P.* Jacob. Bornit. *de
Fundand. Stat. Reip. c.2.* Sicut enim duos ſoles non patitur
mundus, ſic quoque nec Imperium duplicem patitur Majeſta-
tem Roland. â Valle *Conſ.1. n.138.* Jung. Glorioſa Alexandri
Magni verba apud Curtium *l.4.c.11.in fin.* Et ut corona ſi
in partes diſtracta aut aperta fuerit, nomen amittit; ita Maje-
ſtatis jura pereunt, ſi cum aliis communicantur Bodin. *de Rep.
lib.1.c.10.n.149.* Conf. Magnificus Dn. Præſes *S. J F.c.3. Aph.7.*
Reink. *de R.S.& E. lib.1. Cl.2.c.4. & ſeq.* Melch. Goldaſt. *tom.1.*
Der Reichsſatzungen *part.* von des Bapſts Monarchi. Georg.
Schönborn *Polit. l.6.c.10.* Jac. Lampad. *de Diſcurs. p.2. circ. fin.
& part.3.c.12.* Bocer. *de Maj. Crim. c. 1.n.30.* Hortleder / von
Urſachen des Teutſchen Krieges / *lib 1.c.47.*

XXI. Conceſſioni, quâ Regalia acquiri jamjam dictum *vel ex Præ-*
eſt, adpoſui Superius theſ. XIV. Præſcriptionem. Hanc vero *ſcriptione.*

Digitized by Google

Hanc negat Bodinus.

Jurium Majeſtatis acquirendi modum eſſe negat Bodin. *l.1.c. ult. de Rep. n. 170.* Quod ſi inquiens, Pomponius *in l.2. ff. de Via publ. & itin. publ. ref.* viam publicam ulla temporum diuturnitate præſcribi poſſe negavit, cur iſti (Juris Conſulti) vectigalium ac tributorum, cur Majeſtatis jura præſcribi putant? neque enim via publica pertinet ad Jura Majeſtatis. Argumentari vult Bodinus à minori ad majus, ſed perperam.

Sed refutatur.

Supra enim theſ. 10. jam oſtendimus falſam & vanam eſſe opinionem illam Bodini, quâ Juribus Majeſtatis annumerari vias publicas negat. Deinde *add. l. 2.* à Bodino allegatam facilis eſt reſponſio: loquitur enim ea lex de Jure eundi in via publica, quod res eſt meræ facultatis, in quâ nullum locum habere præſcriptionem, libenter concedimus: quippe quarum poſſeſſio non poteſt dici quæſita illi, qui præſcribere intendit: ſeu quia non eſt in iis reperire poſſeſſionem formatam, à quâ præſcriptio cauſatur, ut loquitur Petr. de Anchorano *Conſ. 157. n. 6.* Vid. Magnificum Dn. Præſidem *Ex. 43. th. 22.* Reink. *de R. S. & E. l. 1. claſſ. 4. c. 19. n. 33.* Cœpoll. *de S. R. P. c. 3. n. 20.* Nos vero quando jura Majeſtatis & conſequenter viam publicam acquiri præſcriptione dicimus, de ipſa via loquimur, quatenus nimirum haut ſecus ac ex conceſſione Imperatoris in patrimonium & pleniſſimum jus præſcribentis ea defertur, ita ut licet non eodem gradu, in æquali tamen jure eam cum Imperatore habeat. Bacchov. *in Tr. de Pignor. l. 1. c. 9. n. 2.*

Bodini lapſus memoriæ.

XXII. Notandum hic obiter Bodin. *alleg. loc.* Legem à Javoleno prolatam, Pomponio inſigni memoriæ lapſu attribuiſſe. Similem negligentiæ culpam Berneccerus *Not. ad Juſtin. 37. 4. 8.* Æmilio Probo *in Datame*, objicit. qui Pylæmenem, memoriâ lapſus à Patroclo interfectum ait, cum ex Homeri *lib. 5.* conſtet, Menelaum cum haſta confodiſſe. Sic etiam Cic. *lib. 2. de Divin.* verſus quosdam Homericos *2. Iliad.* ab Agamemnone pronunciari facit, cum eos Ulyſſes loquatur, uti notat Andr. Turneb. *Adverſ. 5. 19. pag. 149.*

Aliter ſentit Arniſæus.

XXIII. A Bodino diſſentit Arniſæus *d. J. Maj. lib. 2. c. 2. n. 6.* qui diſtinguit inter ea Majeſtatis jura, quæ generatim poteſtatem, à quâ tota vis Reip. dependet, continent, ut ſunt fa-

cultas

cultas condendi aut abrogandi leges univerſales, ſupremæ Juriſdictio & poteſtas bellum inferendi cuicunque libuerit; & inter ea quæ horum particulæ tantum ſunt, ut legitimare, nobilitare, tabelliones, Doctores creare, Magiſtratus minores inſtituere, jus dicere. &c. Hæc non vero illa præſcribi poſſe autumat. Verùm verius videtur cum Magnifico atque Ampliſſimo Dn. D. Richtero, Ordinario hic loci meritiſſimo, Patrono meo atque Præceptore ſummo Reverentiæ cultu æternùm mactando, *Dec. Part. 1. dec. 21. n. 52.* ſtatuere, præſcribi Regalibus, vectigalibus, Juriſdictionibus aliiſque Principum in ſignum ſpecialis præeminentiæ Reſervatis. Jung. *c. 36. §. præterea de V. S.* Gebhard. *de Uſuc. c. 5. n. 11.* Reink. *de R. S. & E. l. 1. cl. 5. c. 2. n. 46.* Rennem. *de J. Rerum. D. 44. th. 12.*

Noſtra opinio.

XXIV. Quod ipſum vero ad ea, quæ de Præſcriptione longi atque longiſſimi temporis jure communi tradita ſunt, neutiquam extendere licet; ſed tanti temporis continuus tractus requiritur, cujus initii memoria non extat: Magnificus Dn. Carpz. *J. For. P. 2. Conſt. 3. def. 24. n. 3. ibiq; allegati.* Add. Magnificus Dn. Præſes *Ex. 43. th. 24.* Gail. *Obſ. lib. 1. Obſ. 21. n. 5.* Rudinger *Sing. Obſ. Cent. 4. Obſ. 24. n. 4. & Cent. 5. Obſ. 81. n. 2.* hæc enim præſcriptio vim legis habere dicitur *arg. l. 1. §. fin. & l. in ſumma pr. ff. de Aqu. & aq. pluv.* & privilegii ab ipſo Principe conceſſi *l. 3. §. 4. ff. de aqua quotid.* Bald. *in c. 1. colum. 1. Quæ ſint Regal.* Jaſon. *in lib. de Operib. Colum. 13. ff. de LI.* Conſvetudinis denique ac tituli jure conſtituti *c. 36. §. præterea de V. S.* Alexand. *Conſ. 24. n. 14. & ſeq. Vol. 5.* Gail. *2. Obſ. 71 n. 9.* Meichſn. *deciſ. Camer. 3. n. 23. tom. 3.* Decian. *Reſp. 24. n 111. Vol. 1.* Mynſing. *Obſ. 20. Cent. 1.* Wurmſer. *Ex. 3. Quæſt. 15.* Gilken. *de Præſcript. Part. 3. c. 8. n. 23.* & tanti temporis curſus tantum poteſt, quantum Imperator, ſecundum Andream de Iſern. *in c. 1. in verb. flumina, Quæ ſint Regal. in uſib. Feud.* Conf. Schurff. *Conſil. 90. n. 48. cent. 3.* nec minus Dominia & jura quam alias res mundanas omnes mutat, Oldendorp. *Claſſ. 3. Act. 2. verſ. illud.* Unde etiam Regna, Principatus & Reſp. quæ aliquando Imperio Romano ſubfuerunt, ſed ab eo ſe liberarunt, Præſcriptionis Immemorialis titulo tueri ſe queunt. Reink. *l. 1. claſſ. 2. c. 8. per tot.*

Requiritur Præſcriptio temporis Immemorabilis.

Quæ tanti temporis vis.

tot. Arniſæus *de J. Maj. lib. 1. c. 2.* Paurmeiſt. *de Jurisd. c. 4. n. 28.* pro poſſeſſore enim præſumtionem Juris & de Jure facit, per *c. 1. de Præſcript. in 6.* Felin. *in c. cum nobis, column. 3. de Præſcript.* ita ut tanto tempore poſſeſſum præſumatur juſtè poſſeſſum, ſive commune jus reſiſtat præſcribenti, ſive non *d. c. 1. de Præſcript. in 6.* Ant. de Butrio *in cap. prævenit de Cenſibus* Gebhard. *de Rer. Uſ. c. 6. n. 2.*

Quid circa hanc Præſcriptionem de J. Saxonico obſervandum.

XXV. Quamvis autem duo ſaltem ſpecies Præſcriptionum in foro Saxonico expreſſæ reperiantur, Annalis, videlicet, quæ res mobiles reſpicit, Landr. *lib. 2. Art. 22. pr.* item bona utenſilia, Gerade/ res expeditorias Heergewette/ & comeſtibilia Muſtheil/ Landr. *lib. 3. art. 28.* ſpatioque unius anni, ſex hebdomadarum & trium dierum completur Weichbild. *Art. 21. pr.* Jahr und Tag/ das ſeynd ſechs Wochen und ein Jahr; & Tricennalis, qua præſcribitur bonis immobilibus, item ſervitutibus, actionibus, aliisque incorporabilibus rebus, Zobel. *Differ. J. Civil. & Sax. p. 2. diff. 1. n. 1.* Heig *part. 1. quæſt. 16. n. 11.* atq; completur curriculo triginta annorum & unius, ſex ſeptimanarum, & trium dierum Landr. *lib. 1. art. 29.* Add. Coler. *in c. quoniam de Præſcriptionibus n. 33. 34.* Rennem. *de J. Rerum D. 44. th. 17.* Gebhard. *de Uſuc. c. 4. n. 9. & ſeq.* Neutiquam tamen per hoc Præſcriptiones ſpeciales & ſingulares in omnibus aliis caſibus, quæ Jure Civili & Canonico introductæ ſunt tolluntur, ſed quælibet procedit in ſuo caſu Zobel. *d. l. n. 2.* Unde etiam in Saxonico foro Regalia non niſi tempore immemoriali præſcribi rectiſſimè dicit Magnificus Dn. Præſes *Ex. 43.* th. *25.* non enim exiſtimandum eſt, Saxones definitione ſua duorum temporum totam præſcriptionum obſervationem tantis vigiliis excogitatam evertere voluiſſe *arg. l. ſi quando 35. in pr. C. de Inoff. Teſt.* Textus præterea videtur clarus Landr. *lib. 1. art. 29. §.* Des Reichs-Schatzkammer kan ſich nimmer verſchweigen/ qui textus licet loquatur in caſu ſpeciali, vacantis videlicet & fiſco delatæ hæreditatis: quia tamen idem diſponit jus commune de una illa ſpecie Regaliorum, puta bonis vacantibus, non immeritò extenditur ad alia jura Regaliorum fiſco vel Imperio competentium. Magnificus Dn. Carpz. *J. F. p. 2. c. 3. def. 24. n. 5.*

XXVI. Sed

Quantum temporis ad Præſcript.: Immemorialem requiritur.

XXVI. Sed quantum temporis requiritur, ut ejus memoriæ initium non dicatur extare? Triplicem de hac Quæſtione reperiri Dd. opinionem animadvertit Schneidw. *ad J. de Uſuc. & long. temp. præſcr. §. de ſpeciebus Præſcript. n. 35.* Quibus ego adhuc quartam addo, eorum videlicet, qui aſſerunt Immemoriale tempus id non dici, cujus initium quocunque modo oſtendi poteſt, Covarr. *in c. poſſeſſor. 2. part. 3. relect. §. tertius n. 8.* Balb. *2. part. 3. princ. q. 6. n. 26.* ſive per inſtrumenta, ſive per litteras & alia monumenta Maſcard, *de Probat. Concl. 1043.* Quæ opinio verò ſi ſubſiſteret, nec diluvium, nec orbis initium hac ratione immemoriale tempus dici poſſet, uti loquitur Weſenbec. *Conſ. 2. n. 82.* Nos ſtatuimus hâc in præſcriptione non tantum excedens, ſed & attingens centum annos tempus ſufficere, modò initii ejus, quo res vel jus præſcribendum negligi cœpit memoria non extet, *c. 1. de Præſcr. in 6. c. 26. §. præterea de V. S. l. 23. cum Auth. ſeq. C. de SS. Eccleſiis,* & ſub hoc immemoriali tempore comprehendi quoque centenarium, contra Arniſæum *de J. Maj. lib. 2. c. 2. n. 6. & ibi allegatos* defendemus: tempus enim centum annorum civiliter eſt infinitum, quia hominis memoriam excedit *d. l. 23. C. de SS. Eccleſ. l. 56. de Uſufr.* Conf. Magnificum Dn. Præſidem *Ex. 43. th. 23.*

Quomodo ea probetur

XXVII. Probatur vero hæc Præſcriptio I. per certos quosdam teſtes, deponentes, ſe vidiſſe ſemper ita fieri, & nunquam vidiſſe contrarium, & quod nemo aliter, ſed eorum unusquisque à primo ortu & memoria ita ſemper & ubique homines non aliter loquentes audiverit, quemadmodum de Probatione Juris Gentium loquitur Plato *8. de LL.* & ex eo Alb. Gentil. *de J. Belli. l. 1. c. 1. pag. 13. Add. l. 28. ff. de Probat.* Rebuff. *q. 13. n. 94. & ſeq.* Cardinal. Tuſch. *Pract. concluſ. 71.* Gail. *Obſ. l. 2. obſ. 60. n. 12.* Zachar. Vict. *de Except. Concl. 18.* Mynſ. *Obſ 1. 30.* Schneidw. *d. l. n. 36.* II. Per famam communem *l. 28. verſ. cum ff. de Probat.* non procuratam & immiſſam ab eo, qui eam allegat ad ſui ipſius favorem, propriamque tendentem utilitatem, *arg. l. miles §. pen. ff. ad L. Jul. de Adult.* omnis enim affectatio ſive procuratio ſuſpecta meritò eſt *l. 29. de Teſtam. tutel.* Jung. Meichſn. *decif. 3. n. 6. tom. 5. & decif. 14. n. 17. tom. 3.*

Juriſdictio in viis Regalibus

XXIIX. Uno itaque horum modorum delatis Inferiori à ſumma Majeſtate Regalibus poteſtas dijudicandi cauſas ad judicia ſpectantes in viis Regalibus, ſive civiles ſive criminales, ac in illis cauſis Imperium exercendi, delata quoque cenſetur. Quæ ſumma hæc adeoque & Juriſdictionem aliis tribuendi poteſtas initio Reip. Romanæ fuit penes Reges *l. 2. §. 14. ff. de O. J.* Dionyſ. Halicarnaſſ. *l. 10. c. 1.* Urbem enim Romam à principio Reges habuere Tacit. *1. 1. pr.* & antiqua civitatum gubernatio paucorum fuit & Regia Ariſtot. *11. Polit.* Hinc Cappadoces, qui libertate à Romanis donati, negarunt gentem vivere ſine Rege poſſe, ut refert Juſtin. *38. 2. 8.* Add. Eund. *1. 1. pr. & ibi Bernecc.* Dn. Forſtner. *Not. Pol. ad Tac. 1. 1. pr.* Zevecot. *ad Flori lib 1. pr.* Deinde verò cum Superbi illius Tarquinii ſuperbâ & importunâ Dominatione effectum eſſet, ut agitatus injuriis populus, cupiditate libertatis incenderetur Flor. *lib. 1. c. 8. fin.* Regesque ejiceret, τὸ κύριον primùm penes Conſules mox verò penes populum fuit, *l. 2. §. 16. & 23. ff. de O. J.* Halicarn. *l. 10. c. 1.* Monarchia enim ſive legitimus Principatus, cum in Tyrannidem degenerat, corrigitur Ariſtocratico, ſive Optimatum Imperio, Forſtner. *d. l.* Sic Helvitii A. C. 1316. crudeli Præfectorum Auſtriacorum inſolentia preſſi, iis expulſis ad libertatem provocarunt, Quad. *in deſcript. Reip. Helvet. ſub. rubr. Reſp. & Regimen.* Johan. Ludov. Gotofred. *Arch. Coſm. de Rep. Helvet. pag. 558.* Münſter. *in Coſmogr. lib. 3. de German. c. 55. & duob. ſeq.* Joſ. Simler. *lib. 1. de Rep. Helvet. p. 37.* Cromer. *de Orig. & geſt. Polon. lib. 12. fin.* Et Britannia quondam Porrice in vindictam cædis fraternæ à Widena matre interfecto, diſcordiis civilibus agitata ex Monarchia Pentarchiam veluti in ſolatium publicæ calamitatis effecit. Atque ætate ſuperiori Belgi nimis inſolenter ab Albano Duce habiti jugum Hiſpani excuſſerunt. Jung. Elegantisſimum Forſtner. *N. P. ad Tac. 6. 30. 6.* Zevecot. *ad Flor. lib. 1. c. 8. in fin.*

fuit 1. penes Reges.

2. Conſules

XXIX. Cum verò primum Conſulare Imperium ad Monarchicum potius, quam Ariſtocraticum acceſsiſſe cum Polybio dicendum ſit, & Conſules non quidem nomine, quod

exo-

Digitized by Google

exoſum, ſed poteſtate Reges fuerint Boxhorn. *Diſſ. 8. de Conſul.* manifeſtum, eos quoque ſolos Juris dicendi in viis publicis poteſtate ornatos fuiſſe. Autoritate verò ſequentium, partim creatis novis Magiſtratibus, ut Dictatoribus, Decemviris aliisque, partim legibus conditis, cum harum Imperia, quam hominum potentiora crederentur, diminutâ: Boxhorn. *ibid.* Add. Sutholt. *Diſſ. de Jurisd. th. 50. & ſeq.* peculiares etiam Viarum Curatores conſtitui cœperunt, quibus ſumma in Viis tribuebatur Jurisdictio & poteſtas. Sic Cæſar Curator Viæ *3. Curatores*
Appiæ Plutarcho dicitur, Thermus Flaminiæ Ciceroni. Et Pomponius *l. 2. §. 20. ff. de O. J.* Eodem, inquit, tempore, (h. e. antiquo illo liberæ Reip., uti id explicat Rupert. *ad Pompon. c. 17. §. 20.*) & Quatuorviri, qui curam viarum gererent, conſtituti. Jurisdictione etiam in viis Præfectus Urbi fuit illuſtris: non enim Præfectura Urbis ſuis mœnibus circumſcripta, aut intra ſeptem ſuos colles coërcita: ſed longius proceſſit. Quidquid intra Urbem admittitur ad Præfectum urbi videtur pertinere; ſed & ſi quid intra centeſimum milliarium admiſſum ſit, ad Præfectum urbi pertinet, inquit Ulpianus in *l. 1. §. 4. de Off. Praf. Urb.* Cum itaque de criminibus intra centeſimum commiſſis Præfectus diſquirere, ſequitur quod & de delictis in via Regali intra centeſimum lapidem perpetratis judicium ferre potuerit.

XXX. Tandem verò Populari Dominatu in Anarchiam *4. Auguſtos*
& omnium rerum confuſionem tranſeunte, non aliud diſcordantis Patriæ remedium fuit, quam ut ab uno regeretur Tacit. *1. 9. 4.* Eò enim æmulatio Cæſaris & Pompeji redegerat nobilem populum, ut ſalva eſſe Roma non poterat, niſi beneficio ſervitutis Senec. *5. de Benef. c. 16.* nam multa hominum millia pugnabant, non an ſervirent ſed cui, Idem *2. de Benef. 20.* Et proinde ſumma poteſtas, ac per hanc Jurisdictio in viis Regalibus iterum tranſibat ad Auguſtos *l. 2. §. 11. ff. de O. J.* quorum primus cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine Principis ſub Imperium accepit. Tacit. *1. 1. 3. & ibi Forſtn.* Zevecot. *ad Flor. lib. 4. c. 3.*

Digitized by Google

XXXI. Hic quo plures partem adminiſtrandæ Reip. iis tribuendo ſibi devinceret, nova officia excogitavit, Curam Operum Publicorum, viarum, aquarum, Sveton. *in Auguſt. c. 37.* Sed quomodo nova ſi jam ante Quatuorviri, ſi Curatores? Si-
, lent ſcholiaſtæ, inquit Lipſius *Comm. ad Tac. 3. 31. 6.* ſed verè di-
, cam ego. Curatores ante Auguſtum, fateor, ſed nec perpetu-
, um id, nec certum munus. Fecit utrumque Auguſtus. Quod
, ad IVviros, ſcito diſcretum à Curatoribus eorum munus. Qua-
, tuorviri vias urbis curabant: Curatores eas, quæ extra urbem.
, Docuit me hoc Dio lib. 54. de Vigintiviris: ubi clarè ſcriptum,
, è ſerviris viarum, amotos ab Auguſto duos qui vias curabant
, extra muros; τὰς, ait, ἔξω τοῦ τείχους ὁδοὺς ἐγχειριζομένους: reten-
, tos quatuor, qui in urbe. Ergo ſub Auguſto & Curatores Via-
, rum & Quatuorviri, quorum munera locis regionibusque di-
, ſtincta. Et digniores ſanè Curatores: quia in vias illas grandes
, extra urbem, ſumtus & moles major. Ideo Plinius gratulatur
, Cornuto de eo munere lib. 5. Epiſt. Receſſeram in municipi-
, um, cùm mihi nuntiatum eſt Cornutum Tertullum accepiſſe
, Æmiliæ Viæ curam. Exprimere non poſſum, quanto ſim gau-
, dio adfectus & ipſius & meo nomine. Et Statius Plotium dilau-
, dans, 4. ſilvarum

, Te Germanicus arbitrum ſequenti
, Annonæ dedit, omniumque latè
, Præfecit ſtationibus viarum.

, Et in lapidibus paſſim inter alios honores inſculptum CURA-
, TORI. VIARUM. aut plurimum, CURATORI. VIÆ. AP-
, PIÆ. Salariæ, Flaminiæ, &c. nominibus expreſſis, quia ferè
, Curatores dabantur certis viis, uni pluribusve. Hæc Lipſius.
Conf. Magnificum Dn. Præſidem *Ex. 45. th. 76.* Rupertum *ad Pompon. c. 17. §. 20.* Mindan. *de Interd. Tit. 3. n. 21. & ſeq.* Schild. *Comm. ad c. 37. Sveton. in Auguſt.*

XXXII. Atque hoc Majeſtatis jus, omniaque Regalia penes ſolum remanebant Imperatorem omni eo quod Carolum Magnum anteceſſit tempore Sutholt. *Diſſ. de Jurisd. th. 402.* Hujus verò finito Regno nova Reip. Romanæ ſe incipiebat ætas aliaque facies; cum enim antea Præſidum Magiſtratus & po-

tentia

tentia non niſi ad tempus ſumeretur (modus hic erat ſapien-
tiſſimus ambitionem plusquam civilia agitantium Romano-
rum coërcendi vid. Forſtner. *ad Tac. 2.5. 1.)* Juriſdictionem hi
quidem jure proprio, quatenus Magiſtratus; merum verò Im-
perium & cætera ſummæ Majeſtati propria nonniſi ex ſpeciali
conceſſione Populi poſſidebant. Translato deinde ad Ger-
manos (minimè Gallos ut falsò & arroganter ſcribunt Bodin.
in Method. Hiſtor. c. 7. Degraſſal. Carcaſſon. *lib. 1. Regal. Franc.*
pag. 6. Tholoſan. *7 de Rep. c. 15. in fin.)* Imperio, Juriſdictio quem-
admodum reſpectu totius Imperii, quoad utrasque & Eccleſia-
ſticas & ſeculares cauſas competit vel ſaltem competere de-
bet, Imperatori & ſtatibus univerſis, ita per feudalem conceſ-
ſionem ſpectat ad Principes Imperii, ratione ſuorum territo- *5. Principes*
riorum, in quibus analogam Majeſtati Imperatoriæ poteſta- *Imperii.*
tem habent; quæ dicitur in ſpecie ſuperioritas ſeu Juriſdictio
territorialis Landes Fürſtliche hohe Obrigkeit/ vel Civitatibus Im-
perialibus Landeshohe Obrigkeit/ Landes Ober- und Herrligkeit.
Huc etiam pertinet Juriſdictio Immediatorum ſive Primario-
rum, ut eos vocat Gail. *de Pignor. Obſ. 1. n. 1.* Nobilium der freien
Reichs von Adel/ der freien Ritterſchafft. Limnæus *de J. P. lib. 6.*
c. 3. Feuda enim Imperii immediata omnia Regalia, jura ac e-
molumenta eò ſpectantia (Regalien/Herrligkeiten/Obrigkeiten/
Ehr/Würden/Freiheiten/Gerechtigkeiten und Eingehörungen etc.)
& hinc Juriſdictionem in viis publicis continent, Knich. *de Su-*
blim. Territ. jur. c. 1. n. 224. & ſeq. Et hi qui jure ſuperioritatis
territorialis tenent territoria rurſus ditiones quasdam, prædia
& caſtra, Comitibus, Baronibus & Nobilibus cum omnibus
Juribus, Emolumentis & pertinentiis, uti vocant, mit allen Ein-
und Zugehörungen/ conferunt, ſed absque ſuperioritate Terri-
toriali. Licet enim caſtrum cum ſuo territorio ſeu omni jure
& omnimodâ Juriſdictione in feudum à Principe alicui detur;
non tamen hoc ipſo Juriſdictio in viâ Regali ad ipſum perlata
cenſetur, quamvis ab utraque parte ejus Juriſdictio ipſi com-
petat, quia generali conceſſione Regalia haud transferuntur.
Conf. Magnificus Dn. Præſes *S. J. F. c. 6. Aph. 10. 16. 18.* Sutholt.
de Jurisd. th. 403. Ex quibus dictis liquet, eadem in viis publicis

poteſtate cum Imperatore per feuda Imperii immediata Status Imperii hodiè eſſe ornatos.

XXXIII. Obſervandum verò hic quod ſicut in omni conceſſione Imperatoris & ſummi Principis, ſemper excepta & reſervata, conceſſionisque neſcia cenſeatur ſuprema Imperialis & Regia ſuperioritas; ita in inferiorum Principum Inveſtitutis & conceſſionibus ſemper ipſo jure excluſa ac conceſſionis neſcia ipſis remanet territorialis ſuperioritas, ut videlicet ſint ejus ſuperiores & Domini, daß ſie ihre Herren und Landes-Fürſten bleiben. Unde licet Princeps in feudum concedens Jurisdictionem villæ, pagi vel caſtri, eam non ſimul illic loci exerceat, nec in ejus ſit placito Jurisdictionem ſemel alii in certis locis attributam pro lubitu revocare & inſtituere; non tamen Jurisdictionem quæ ratione ſuperioritatis territorialis ipſi competit, abdicavit; ſed eam appellatione, vel aliâ ratione ad ipſum cauſâ delatâ, exercet, ita ut tunc vigore illius omnia ad Jurisdictionem ſpectantia perficiat ſuo in territorio, adeoque & ſubditos ejus cui Jurisdictionem conceſſit, immediatè citare poſſit. Vid. Magnificus Dn. Præſes *S. J. F. c. 6. Aph. 18. n. 5.* Sic in Gallia licet cura viarum omnium ſeu ſint urbicæ, ſeu ruſticæ ad Viocuros (voyers vocant) prima cognitione pertineat; tamen ſi viæ publicæ exemptus ſit commeatus, vel via coarctata, ita ut certi fines latitudinis conſtituendi ſint, tunc ſumma Senatus Jurisdictio eminet ſupra Viocuros, Mornac. *Obſ. ad l. 8. ff. de S. R. P.*

Quibus civitatibus jus viæ competat.

XXXIV. Quod Civitates attinet Jus Regalium Viæ ad ſolius Urbis Romæ Majeſtatem olim pertinuiſſe, contra Accurſium qui *in l. 2. §. 21. Ne quid in loc. p. in verb.* habuit, quarumlibet Civitatum eſſe ſcribit vias publicas, & in *§. 1. ejusd. l. 2.* quod ibi dicitur, lege concedi, ut aliquid fiat in loco publico, legem interpretatur municipalem, ſtatuimus cum Sixtin. *de Regal. c. 4. n. 18.* Conf. Bocer. *lib. 2. de Regal. n. 144.* Jure hodierno diſtingvendum eſt inter Civitates Imperiales, & eas quæ Statibus mediatè ſunt ſubjectæ. Illæ eandem cum Statibus in poſſidendis Regalibus habent poteſtatem; hæ non item niſi eam acquiſiverint vel ſpeciali conceſſione, vel immemoriali præſcriptione.

XXXV.

Cuinam competat Juriſdictio delicti in via Regali commiſſi.

XXXV. Quæritur hic cuinam competat Juriſdictio ratione delicti in viâ publicâ commiſſi? Petr. Jacob. Aurel. *in aurea practl. libell. Rubr. 12. n. 68. & ſeq.* Gvido Pap. *deciſ. 573.* Cœpoll. *Tr. de S. R. P. c. 3. n. 32.* & Alciat. *ad l. paries 157. ff. de V. S.* hoc in caſu ei, qui merum Imperium in territorio circa viam publicam habet, cognoſcendi & puniendi facultatem competere dicunt; quia cui merum Imperium in univerſo territorio conceſſum eſt, ei quoque hoc ipſum in qualibet territorii parte conceſſum eſſe intelligitur *arg. l. 239. §. 8. ff. de V. S.* Aliter ſentiunt Joh. Schneidw. *ad §. ult. n. 8. J. de J. N. G. & C. & ad §. ſumma autem diviſio n. 67. J. de Interd.* Joachim. à Beuſt. *ad l. admonendi 31. ff. de Jurejur. p. 483. verſ. 1. & ſeq.* Borcholt *ad Tit. 56. F. lib. 2. n. 25.* Zanger. *Tr. de Except. part. 2. c. 1. n. 9.* qui ad eum ſpectare cognitionem de homicidio in via Regali commiſſo, cujus eſt jus Regale in eadem via publica, exiſtimant. Quæ & ſententia probabilis nobis cum Magnifico Dn. Carpz. *Pr. Crim. Part. 3. Q. 110. n. 42.* videtur: Add. Magnificus Dn. Præſes *Exerc. 9. th. 44.* Speckhan. *Cent. 3. queſt. 11. claſſ. 2.* Incumbit ſiquidem Imperatori, nec non Ducibus, Comitibus, aliisque Principibus, qui viam Regalem habent, ut curent ea, quæ ad ſecuritatem hujusmodi viæ ſpectant, quo videlicet à malis hominibus purgetur, & ne à latronibus, plagiariis, prædonibus & furibus infeſtetur. Warem. ab Ehrenb. *c. 5. n. 37. de Regn. ſubſid.* Arum. *ad A. B. c. 1. th. 11. diſc. 1.* Andr. Gail. *lib. 2. Obſ. 64. n. 2. 3. & 4.* Quicquid tamẽ ſit, in terris Electoratus Saxon. prior opinio peculiari Cõſtitutione à D. Georgio Duce Saxoniæ laudatisſimæ memoriæ A. 1506. introducta & poſtea A. 1600. confirmata eſt: exceptis quibusdam ſpecialiter delictis. Vid. Joh. Zanger. *de Except. part. 2. c. 1. n. 244.*

Securitas in viis præſtanda.

XXXVI. Non ſolùm verò ille, cui Juriſdictio in viis Regalibus competit animadvertere in delinquentes, ſed etiam ſecuritatem in viis præſtare debet; Prætor. *In Cent. can. Pol. D. 3. c. 24.* publicè enim intereſt ſine metu & periculo per itinera commeari, ut ait Ulpian. *l. 1. §. 1. de his qui eff. vel. dej.* Vid. Ant. Mornac. *Obſ. ad l. 7. C. de SS. Eccleſ. litt. b.* & congruit bono & gravi Magiſtratui curare, ut pacata atque quieta ſit Provincia quam regit *l. 13. in pr. l. 3. in f. de Off. Præ. l. 1. §. quies. ff. de Off. Præf.*

Digitized by Google

Præf. Urb. c. dominus verſ. juſta autem bella 23. q. 5. §. ſi quis. Add. Mindan. *de Interd. Tit. 3. n. 68.* utque territorium ſuum purget à malis & facinoroſis hominibus *l. 4. §. 2. ff. ad L. Jul. Pecul.* Gail. *2. Obſ. 64. n. 2.* Mynſ. *5. Obſ. 100.* Denaiſ. *in Jur. Camer. tit. 213 §. 8.* Et ex natura ſui officii debet impedire malum & defendere ſubditos oppreſſos, quibus videt injuriam & damnum inferri, Matth. Coler. *Conſ. 39. n. 45. & ſeq.* Althuſ. *l. 1. Dicæol. c. 113. n. 16. & ſeq.*

Latrocinia olim ap. quosdam erant licita.

XXXVII. Apud multas olim quidem gentes latrocinia agitare, non ſolum impune ſed gloriæ habebatur, Juſtin. *43. 3. 5.* Hinc illa apud Homer. *Odyſſ. 3. 71.* amica interrogatio, An prædones eſtis? ex quâ Thucidid. *1. 1. 22.* probat, latrociniorũ patrocinium Græcos veteres ſuſcepiſſe; quod & de priſcis Germanis aſſerit Cæſar *Bell. Gall. 6. 23.* Latrocinia, inquiens, nullam habent infamiam, quæ extra fines cujusque civitatis fiunt, atque ea Juventutis exercendæ ac deſidiæ minuendæ cauſa. Idem ferè de Tartaris ſcribit Sigism. Herberſten. *in Comm. Rerum Moſcoviric.* Conſ. *l. ult. ff. de Colleg.* Grotium *de J. B. ac P. l. 2. c. 15. n. 5.* Bodin. *de Rep. l. 3. c. 7. n 328. & 329.* Sed cum cognatio inter homines quædam ſit à Natura, ac proinde nefas alterum ab altero lædi, Grotius *d. l.* meritiſſimo jure hunc Gentium deteſtamur morem, continuoque animadvertimus in delinquentes ferro.

Quomodo puniantur apud Romanos.

XXXIIX. Variat vero eorum pœna cum varietate Nationum & temporum. Apud Romanos mortis genus, quo pœnas latrones exſolvebant erat infelix arbor, in quam figebantur. Sic Julius Cæſar à piratis captus redemtusque quinquaginta talentis & expoſitus in littore non diſtulit, quin è veſtigio claſſe deducta perſequeretur abeuntes, ac redactos in poteſtatem, cum Proconſul Junius qui Aſiam tum obtinebat ſumere de captivis ſupplicium negaſſet (ſequebatur quippe invidia inertiam, ut loquitur Patercul, *lib. 2. c. 42.*) cruci, quod illis minatus ſæpè inter jocum fuerat, ipſe ſuffigeret. Plutarch. Cæſ. Sveton. *lib. 1. c. 4.* Vellejus *d. l.* Et Apulej. *lib. 13. Met.* latronem, inquit, iſtum miſerorum pignorum meorum peremptorem cruci affigatis. Adde Lipſum *Com. ad Tacit. 14. 33. 5.* ubi eleganter etiam

de va-

Digitized by Google

de variis diſſerit crucium generibus. Ægyptii latrones vivos excoriabant, Wendel. *Inſt. Pol. l 2. c. 13. ib. 9. n. 7.* quo ſupplicii genere ita demum ſe diu mori ſentiunt, ſi carnifex umbilicum ferro non attingat, eo reſecto, illicò exſpirant. And. Laurent. *in Op. Anatom. de Vaſ. Umbil. p. 92.* In Anglia latronibus laqueo vita eripitur, Joh. Ludov. Gotofred. *Archont. Coſm. lib. 1. pag. 362.* quod in eâ regione omnibus ferè delictis familiare eſt ſupplicium.

Ægyptios.

Anglos.

XXXIX. In Germania latrocinii pœna ex *Ordin. Crim. Caroli V. 130.* & jure Saxonico Landr. *l. 2. art. 13. Conſt. Elect. Aug. 5. p. 4. & Conſt. 35. p. 4.* eſt ſupplicium rotæ. Hoc vero delicto exaſperato eo quod aliquoties illud iteratum, vel plures Perſonæ unius ſpolii cauſa occiſæ fuerint, exaſperatur quoque morituri pœna vel aduſtione vel raptatione ad locum ſupplicii, mit glüenden Zangengriffen oder außſchleiffen. *Ordin. Crim. art. 137. §. 1. & art. 130. & Conſt. Elect. 3. p. 4. verſ.* Und wofern. Tot autem vicibus, quot perſonæ interfectæ fuerunt, dempta una, latro uſtulandus eſt ferro candenti, e. gr. ob duplex latrocinium unicâ vice, ob triplex bis, & ſic deinceps. Ultra ſextam tamen vicem etiam in caſu XL. latrociniorum commiſſorum forcipes flammantes haut ſunt adhibendæ, ne mors ſupplicium rotæ præveniat. Plerumque enim reis tam multorum latrociniorum cruris & brachiis prius confractis, demum collum contunditur, ſie werden von unten auf gerädert. Quodſi cum hoc delicto delicta æquè gravia vel graviora v. g. Incendium, Sodomia, Sacrilegium concurrant, concurrit quoque cum hoc uſtionum & rotæ ſupplicio pœna ignis, quæ propria Incendiariorum *Ordin. Crim. art. 125.* Et ita anno elapſo 1561. à Scabinis Vratislavienſibus contra George Wampen & ſocios, pronunciatum fuit.

Germanos.

XL. Non ſolùm verò latrociniis & interfectione peregrinantium vivere aſſveti, capitali afficiuntur ſupplicio, ſed etiam qui ſolos, ſine ullius læſione corporali, raptûs exercent. Sic in Gallia qui Viatori tantulum pecuniæ extra urbes in via Regia extorſit, capitali ſupplicio afficitur, & Mediolanenſium lege, qui extra urbes aureum nummum ſuffuratus eſt, morte plecti-

Pœna Raptûs.

tur, Bodin. *lib. 6. c. 6. n. 766.* Add. Zieriz *ad art. 127.* Peinlicher Halsger Ordnung. Immò vel ob minimam in via publica commiſſam injuriam graviſſimè caſtigatos fuiſſe delinquentes legimus: Neapolitano Regi Friderico interroganti, quod nam de eo ſumendum eſſet ſupplicium, qui Virginis invitæ & reluctantis caput in via Regia oſculo libaſſet; à Conſiliariis accurata æſtimatione rem penſantibus, reſcriptum fuit, aqua atque igni reo interdicendum, ipſumque ad XXX. lapides relegandum, & pœna pecuniaria inſuper pro modo facultatum puniendum Matth. de Afflict. *deciſ. 275.* Et Trivultius Mediolanenſis, hominis cujusdam Galli, qui mulierem nuptam in via Regali per vim oſculatus fuerat, caput enſe rotare juſſit, uti teſtatur Clarus *in Pract. Crimin. §. f. q. 83. verſ. oſculum inferens.* Conf. Beſold. *in Delib. Jur. ex L. Jul. de Adult. Quæſt 19.*

XLI Summum hocce jus, ſummam certè injuriam dixiſſet ille Felix Accorombonius, qui ipſum etiam ſtuprum morte mulctari non dubitavit vocare morem Barbarum, & à Gothis ac Longobardis Nationibus Barbaris in Italiam introductum, in *Annot. ſuis ad 2. Rhet. Ariſtot.* Adde Dn. Nicolaum Henelium p. m. *Tr. de J. Dotal. cap. 10. §. 6. & annot. ad litt. n.* qui illum prolixè refutat. Sed perpendentes ex ſecura & ſalva via de ſalute & incremento Imperii, inſimulque Imperantis dignitate eſſe judicandum, meritiſſimo jure etiam in minimo rapinæ delicto jubemus inſurgere leges, & armari jura gladio *l. 31. C. ad L. Jul. de Adult.* Præſagium enim eſt magnarum in Rep. mutationum, ſi viæ infeſtæ habentur frequenti latrocinio. Unde etiam Philippus Haſſiæ Landgravius dicere ſolebat: Man ſoll einen Fürſten erkennen bei reinen Straſſen/ guter Müntze/ und haltung geſchehener Zuſage. Warem. ab Ehrenb. *c. 5. de Regn. ſubſ. & oner. ſubd. n 87.*

Optimè ſecuritati conſuletur pulſis è Rep. 1. Otioſis.

XLII. Melius verò ſecuritati haut conſuletur publicæ, quam pulſis è Rep. Otioſis, Zygenis & Mendicantibus validis. Wendel. *Inſt. Pol. lib. 2. c. 12. th. 7.*

XLIII. Ejiciendi (I.) Otioſi, quia Reip. ſunt pernicioſi, bonorum induſtriæ invident, aliena appetunt, & rebus ſemper novandis ſtudent, Hippol. à Collib. *de Increm. urb. c. 23.* Mens

enim

enim fruſtra vacans nihil bonorum parit *N. 133. c. 6.* & otio cor-
rumpuntur vires Tacit. *H. 2. 93. 1.* Juſtin. *2. 15. 13.* hominesque
laſciviunt. Id. Tac. *1. 16. 3. G. 44. 4. A. 16. 5.* Patercul. *2. 78. 2.* qua-
propter neceſſe eſt, omnes in Rep. habere negotia ſua, quibus
à malo publico detineantur Salluſt. *Orat. 1. ad Caſ. in med.* nam
otii vitia negotium diſcutit Senec. *Ep. 56.* Curtius *7. 1. 5.* quem-
admodum ſitum & rubiginem inſtrumentorum uſus exerciti-
umque. Joh. Loccen. *Not. Pol. ad Curt. d. l.* Add. Curt. *lib. 5 c.*
9. & lib. 8. c. 9. ibiq. Loccen. Forſtn. *ad Tac. 1. 16. 3.* Hinc Cenſori-
bus Romanis negotium datum fuit, ne quis otioſus in urbe
oberraret, Feneſtell. *de Magiſtr. Rom.* & Joh. Roſin. *de Antiq.*
Rom. & Athenienſes ſuos habebant Areopagitas, qui in otium
& ignaviam diligenter inquirebant, Ritterſch. *Part. 12. c. 15. ad*
Nov. Ità Amaſis Rex Ægypti legem tulit, ut ſinguli quotannis
apud Nomarchen i. e. cujusque Præfecturæ Præſidem profite-
rentur, unde viverent: hoc vero non facienti, aut genus vitæ
Præſidi adprobare nequeunti, pœna extremum ſupplicium eſ-
ſet. Herodot. *in Euterp.* Ælian. *4. Var. Hiſt. 1.* De coërcitione
otioſorum apud Corinthios adi Athenæum *lib. 4. Dipnoſoph. c.*
20. & lib. 5. c. 2.

XLIV. (II.) Zygeni: nihil enim hi aliud ſunt quàm collu- *2. Zygenis.*
vies ſceleratiſſimorum hominum & ſentina vitiorum, artem
furandi, latrocinandi, divinandique palàm profitentes, ingen-
ti Magiſtratuum qui eos non ſtatim vel remis vel glebis addi-
cunt ignominia, ut loquitur Joh. Gerop. Becan. *lib. 1. Hermatb.*
pag. 18. Idem de iis ferunt judicium Aventin. *lib. 7. Annal. Bo-*
jar. Albert. Cranz. *in Saxon. l. 11. c. 2.* Mart. Mager. à Schönberg
Tr. de Advocat armat. c. 8. n. 77 & ſeq. Beſold. *in theſ. pract.* Weh-
ner. *in obſ. pract. voc.* Zigeuner. Petr. Frid. Mindan. *de Interd. tit.*
3. n. 72. Bernh. Zieriz *ad Nemeſ. Carol. art. 39.* Bodin. *l. 5. de Rep.*
c. 2. in f. Schönborn *l. 3. Pol. c. 16.* Wendelin. *d. l.* König *in Theatr.*
Polit. part. 2. c. 10. n. 52. & ſeq. Keckermann. *in Syſtem. Polit. c. 24.*
Et ideo etiam in Comitiis Auguſtanis A. 1500. à Glorioſiſſimo
Imp. Maximiliano I. decretum & per Edictum publicum omni-
bus Imperii Ordinibus injunctum eſt, ne ullibi in Imperio Ro-
mano Germanico Zigaros ferant, ſed denegata omni ſecuri-

tate publica ex Provinciarum ſuarum finibus ejiciant. *Rec. Imper. Spira de A. 1544. Rec. Imp. Auguſtæ de A. 1551. Ordinat. Polit. Auguſtæ de A 1548. d. tit.* Melch. Goldaſt. *tom. 2. Conſt. Imp. p. 350. §. 83. & ſeq.* Arcendi enim ſunt, inquit Bodin. *de Rep. l. 5. c. 2. in f.* graſſatores ac fures, qui Ægyptiorum ſpecie ac nomine impunè ubique prædantur, quos contra lex Aurelia Magiſtratus armari jubet. Quæ peſtis quod in Hiſpania quoque latiſſimè graſſaretur. Edicto Ferdinandi Regis *A. 1492.* coërceri cepit. Plura de iis videantur ap. Gramays *lib. 6. c. 1. Aphric. Illuſtr.* & Limnæum *de J. P. l. 9. c. 11. n. 161. & ſeq.*

3. Mendicantibus validis. XLV. (III.) Mendicantes validi. Summum enim eſt Reip. malum mendicitas, quæ & otioſos homines reddit & ſcelerum genus omne ſecum invehit, fovet & alit. Reink. *de R. S. & E. l. 2. cl. 1. 7. c. n. 7.* Mendicando, inquit Julianus JCtus *ad Nov. 80. n. 773.* homines ad delicta proniores fiunt. Non intelligimus autem illam mendicitatem, quando pauperes neceſſitate cogente, quia videlicet debiles, aut omninò invalidi & ad laborem minimè idonei mendicant, ut ab aliis alantur; hanc enim licitam appellat Ludov. Pegvera *in Deciſ. Crim. c. 4. n. 4.* ipſaque *l. un. C. de Val. Mend. & l. ſi quis ad declinandum §. ubi autem C. de Epiſc. & Cler. & can. quomodo diſt. 31. & c. 1. diſt. 82.* approbat: ſed contra eos inſurgimus, qui omni infirmitate corporis carentes, oſtiatim mendicare, & ex alieno vivere, quam propriis laboribus & induſtria ſibi victum quærere malunt. Accurſ. *in l. un. C. de Val Mend.* Jac Menoch. *A. J. Q. lib. 2. Cent. 6. caſ. 532. n. 6.* Perez *in d. l. un. n. 1.* Add. Pegvera *quæſt. crim. 4. n. 6.*

XLVI. Sed quomodo conſtabit de corporum eorum infirmitate, ſi valetudine ægros ſe ſimulent? Exploretur in ſingulis integritas corporum & robur annorum, inquiunt Imperatores *in d. l. un.* & quamvis corporis nudi inſpectio cenſeatur turpis ac proinde rejecta *§. 1. J. quib. mod. tut. fin. & ibi. Dd.* heic tamen eam quandoque adhibendam eſſe nemo facile negabit. Et ſi ex ſolo adſpectu robur & habilitas corporis perſpici poteſt, ut quandoque poteſt, tunc valetudinem mendicantis Magiſtratûs æſtimare debet prudentia *arg. l. 1. §. ult. ff. de J. delib.* Si vero vitium corporis obtenditur latens, nec in oculos

homi-

hominum incurrens, vires tamen ad laborandum reddere vi-
detur inhabiles, tunc Medicorum judicio ſtandum, quod in
ejusmodi rebus dubiis JCti ſæpe attendunt, *Vid. l. ſeptimo men-
ſe ff. de Stat. Homin.* Paul. Zachias *tr. de quæſt. Medico-Legal.*

XLVII. Coërcebantur olim medicantentes validi pœna *d. l. un.* quæ vero abrogata. Hodie enim, inquit Perez *in d. l. n. 9.* mendicantes validi, otioſi, decoctores, qui invalidis & egenis panem præripiunt, & res alienas gratis ut mures exedunt, jubentur quantocius Provinciâ excedere, ut omninò munda ſit ab hujusmodi animalibus, ut ait Plato *lib. 11. de LL.* Si denuo unde expulſi redeant, virgis cædi vel ad triremes damnari ſolent in Hiſpania & Cathalonia, uti notat Pegver *deciſ. 4.* Add. Joh. à Platea *ad l. un. C. de Val. Mend. n. 2.* Et huc ſeſe refert *Ordin. Polit. Imperii de A. 1577. rubr.* Von Bettlern *in verb.* So dore über ſolche ſtarcke Bettler befunden/ ſollen dieſelbige Vermöge der Rechten/ oder ſonſt gebührlich geſtraft werden andern zum Abſcheu und Exempel. Simile decretum Henrici II. Regis Galliæ refert Auguſtus Thuanus *lib. 3. Hiſtor. ad A. 1547.* Idemque conſtituiſſe Ludovicum XIII. A. 1612. teſtis eſt Thuani Continuator *pag. 318.*

XLIIX. Optimus verò omnium ac Reip. utiliſſimus coërcendi modus unanimi Politicorum ſententia habetur damnatio ad operas publicas, in Romana olim Rep. uſitatiſſima, uti ex *t. t. ff. & C. de Pœnis* apparet. Vid. Beſold. *in Theſaur. Pract. voce* Bettler/ & fuſe Bodin. *lib. 6. c. 2. n. 670. & ſeq.* Excuſationem enim mendicis validis familiariſſimam, laborandi videlicet deficere materiam, falſam inutilemque reddunt. Amirat. *lib. 17. Diſc. 6.* Hinc in Argentoratenſium Rep. prudenter ſatis excogitata eſt damnatio ad publicum opus, vulgò das Schellen-Werck dictum Biccius *in Aur. ſect. ult. §. ult.* Quo etiam optimo referri poſſunt jure domus diſciplinares, vulgò die Zuchthäuſer in Belgio uſitatæ & frequentes. Detruduntur enim in eas ejusmodi inutilia terræ pondera, & ad cujusque ingenii, ætate & viribus convenientes labores; ita ut præfixam laborum metam præfixo haud attingentium tempore, victus non ſolum aſper ſane ſit, ſed terga etiam ſtipitibus virgisque lace-

lacerentur. Laudatur præ cæteris hoc coërcendi regimine Amſtelodamum, nobiliſſimum illud totius orbis hodie emporum, eo enim ibi fine carcer quidam publicus, Palatii inſtar ampli & ſpecioſi exſtructus eſt, & cubiculis officinisqne diverſis ad opificia mechanica opportunis diſtinctus.' Pontan. *in Hiſtor. Amſtelod. l. 2. c. 9.* Idemque in civitate Brugenſi Flandriæ reperiri ſcribit Joh. Damhoud. *Prax. Crim. c. 110. n. pen.* Unde etiam ab ejusmodi frivolis hominibus illa loca inania reperiuntur. Wolffius *in Coll. Pol. Diſp. de Leg. th. 23.* Bornit. *de Ærar. Redit. lib. 2. c. 2.*

Via corrupta quomodo reſtituenda.

XLIX. Huic ſecuritati præſtandæ meritò quoque adjungitur viæ corruptæ in integrum reſtitutio. Hanc factam eſſe lapidibus atque glarea ex iis quæ de via Appia diſſerit Procopius *lib. 1. Bell. Goth.* facilè liquet: Appius, inquiens, ex aliâ, & longinquâ tunc regione (ut reor) excisos lapides, & hos ſiquidem ſiliceos & ſuapte natura duriſſimos in hanc viam vehendos curavit, quos complanatos & leves poſtea redditos, quadratosque circumcidendo factos invicem collocavit, metalli nihil vel rei alterius interſerendo. Sunt autem ita connexi, & inter ſe tam validè condenſati, ut ſpeciem præ ſe ferant viſentibus non compoſitos eſſe, ſed natura ſic editos, & quamvis diuturno hi tempore atterantur, plauſtrisque frequentibus, & quibusvis animantibus continenter pervii ſint, ſuo tamen ex nexu ne parumper quidem diſcedunt, vel comminuti franguntur, nec ſui quicquam amittunt nitoris. Add. Lipſium *Comm. ad Tac. 2. 30. 2.*

L. Neque ſolum decorum eſt vias Regales glarea ſterni ac marginari, ut loquitur Livius *lib. 1. dec. 5.* ſed & neceſſarium; tum quia viarum munitiones non tam perſonarum ſunt, quam locorum *l. 14. §. 1. ff. de Muner. & honor.* tum quia frequentior hoc ipſo reddetur negotiatio, quæ Reip. ſummè utilis ac neceſſaria. Vid. Dn. Hahn *ad Weſenb. Tit. de Contrub. Emt. n. 4.* Hinc etiam Sereniſſ. & Potentiſſ. Elector Saxoniæ Joh. Georgius I. laudatiſſimæ memoriæ Princeps, ſingulari mandato viarum refectionem ſuis præfectis & quæſtoribus injunxit in erledig. der Gebrechen *d. A. 1609.* zu Torgau *Tit. III.* von Rent-

Sachen

Digitized by Google

Sachen §. 15. *ſub margin.* Beſſerung der Landſtraſſen/Brücken und Wege/ *in Corpore Juris. Saxon. part. 1. pag. 331.* Cætera non ſatis ſufficiente ad piæ reparationem ærario, omnes cives & incolæ pecunias conferre tenentur, idque nullo Eccleſiæ vel alterius aliàs exempti privilegio attento. Ad inſtructiones itinerum etiam Divinas domos & venerabiles Eccleſias tam laudabili titulo libenter adſcribimus; quia non eſt inter ſordida munera numeratum, inquiunt Imperatores in *l. 7. C. de SS. Eccleſ.* eademque conſtitutio repetitur & ad domos Auguſtas etiam extenditur in *l. abſit C. de Privil. Dom. Aug.* Add. Annæ. Robert *Rer. judic. 2. cap. 3. in fin.* ad neceſſariam enim ærarii publici ſublevationem & conſervationem ad ruinam vergentis ſtatus publici, pars aliqua bonorum Eccleſiaſticorum benè deputari poteſt. Warem. ab Ehrenb. *Meditam. pro Fœder. L. 1. c. 3. n. 34.* Vid. Nobiliſſimus Dn. Conring. *Animadv. in Bull. Innocent. X. c. 6.* & Autor *Conſult. Cath. pro pac. perpet. Proteſt. dand.* Exemplum adducit de ponte Rhenano Argentinenſium Frider. de Mand. *c. 42 n. 20.* Et ita etiam in Collegio Juridico Helmſtadienſi reſponſum eſſe ſcribit Nobiliſſimus Dn. Hahn. *ad Weſenbec. Tit. de via publ. & ſi quid.* Non obſtat vulgata illa Canonici Juris Regula: Quod ſemel Deo dicatum non eſt ulterius ad uſus humanos transferendum *c. 51. ſemel. de R. J. in 6.* Illa enim (1.) non tam juris eſt moralis, quâm poſitivi Eccleſiaſtici. (2.) Limitanda eſt in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis. (3.) Vera eſt, niſi ſuperflua bona poſſideat Eccleſia. Jung. Magnificum Dn. Præſidem *in Præl. Publ. ad Tit. C. de SS. Eccleſ. in fin.*

Vectigalia ſunt præſtanda.

LI. Quoniam verò Jurisdictio & reparatio viarum onus potius eſt, quam jus quoddam fiſcale Arniſ. *de J. Maj. lib. 3. c. 5. ß.* idcirco univerſum quoque jus, univerſi reditus, qui ex viis Regiis dependent, ad Regalia poſſidentem pertinent. Hinc ſolus Princeps exigit vectigalia in via Regali, aut cui ipſe Regalia conceſſit. Beuſt. *in l. admonendi ff. de Jure jurun.* Roſenth. *de Feud. c. 5. concl. 21.* Borcholt. *de Regal. n. 25.* Et coarctatio hæc libertatis peregrinantium quamvis odioſa videatur, per ea quæ refert Joh. Coppen *Quæſt. 11. n. 10.* & Rauchb. *part. 1. Quæſt. 15. n. 5.* revera tamen talis non eſt, ſed potius publicum favorem

Digitized by Google

rem meretur *l. 10. C. de Vect. & Comm.* Non ſolùm enim magnos requirit ſumptûs cura & conſervatio ſecuritatis in via; ſed & non exigua tam Principis quam Imperii ſalus in vectigalibus ſita eſt: ſunt enim ea nervi Reip., Ariſtot. *7. Pol. 8.* ſubſidia belli & ornamenta pacis, Cic. *pro L. Manil. contr. Rull. & Philipp. 5.* Coraſ. *ad Tit. C. de J. Emphyteut. in pr. n. 4.* ſine quibus Reſp. conſervari non poteſt: *arg. Nov. 149. c. 2.* nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt Tacit. *Hiſt. 4. 74. 2.* Hinc Regi Hiſpaniarum in bello Belgico nihil pernicioſius accidiſſe, quam quod aliquoties non fideliter ſtipendia militibus exoluta fuerint, ſcribit Thom. Companell. *de Monarch. Hiſpan. c. 15. pag. 55.* Pecunia enim arma facit utilia, ferroque in bello validior. Cic. *pro L. Manil.* Unde etiam Neronis vectigalia omittere ſtatuentis impetum Senatores attinuere, diſſolutionem Imperii docendo, ſi fructus quibus Reſp. ſuſtinetur, diminuerentur: quippe ſublatis portoriis, ſequens ut tributorum abolitio expoſtularetur. Tacit. *13. 50. 1. & ſeq.* Add. Barclaj. *Argeni. lib 4. c. 18.*

Vectigalis deſcriptio.

LII. Eſt autem vectigal, quod pro invectione & evectione mercium venditarum aut venalium in itinere pontisve tranſitu præſtatur, *l. 3. ff. de Publ. & Vect. ibiq; Meier. in C. J. A.* Perez *in C. de Vect. & Comm. n. 1.* Sixtin. *2. de Regal. 6. n. 1.* Aliàs dicitur telonium, quæ vox propriè vectigalium redemtionem notat, dicta non à tollendo, ut voluerunt Iſern. Afflict. Prapoſ. & Alvar. *in c. un Quæ ſint Regal.* Sed à τέλος & ὠνεῖσθαι, unde & τελώνης redemtor, publicanus. Magnificus Dn. Præſes *S. J. F. c. 6. Aph. 24.* & ſumitur ſæpe pro loco in quo vectigal exſolvitur *Matth. 9. verſ. 9. Marc. 2. verſ. 14.* Scapul. *in Lex. verb.* ὠνέω & menſa publicanorum, Chopp. *1. de Doman. Franc. 10. n. 8.* item, pro ipſo vectigali Voſſius *de Vit. Serm. l. 3. c. 52.* & pecunia Chriſt. Becmann. *de O. L. L. verb. telones*

Quantitas vectigalis.

LIII. Præſtabatur olim J. Romano pro rebus quæ negotiandi cauſa invehebantur & evehebantur vectigal *l. ult. §. 7. ff. de Publ. & Vect.* partis octavæ *l. 7. l. 8. C. de Vectigal.* unde etiam vectigal octavarum & conductores vectigalium octavarii dicti.

dicti. Hereditatum etiam, eorumque qui manumittebantur vectigal erat partis viceſimæ: *l. 2. §. 44. de O. J. & ibi Gothofr. l. ſ. C. de Ed. D. Hadr. toll. Paul. l. 4. ſent. 1. 6.* Plin. *Panegyr. ad Trajan.* item Judiciarium, quadrageſima videlicet pars ejus ſummæ, de qua litigabatur: Sveton. *in Calig. c. 40.* Bodin. *6. de Rep. 1. 2.* Bertach. *de Gabell. p. 8. mem. 4. in pr.* Pro mancipiis venalibus exigebatur quinquageſima, Dio *lib. 5.* Tacit. *13. 31. 3.* pro reliquis verò rebus venalibus centeſima pars Tacit. *1. 78. 2.* quæ poſtea in ducenteſimam fuit transmutata Id. *2. 42. 7.* Cujac. *6. Obſ. 28.* Hodiè de omnibus rebus ac mercibus pro cujusque loci conſvetudine, quæ in vectigalibus ſpectanda dicitur *in l. 4. §. ult. ff. de Publ. & Vect.* ſolvitur vectigal; & ſi quis id de importatis præſtiterit, non tenebitur ead. exportans Mævius *ad J. Lubec. p. 3. t. 6. art. 7. n. 11.* ſemel enim pro eâdem re gravari iniquum eſt.

LIV. Et ſanè mediocritatem ſi nullibi aliàs, certè hic ſpectet Princeps & in ſolutione vectigalium nihil innovet: vitâ enim impenſius amat vulgus pecunias. Arniſæus *1. Pol. 11.* &, ſi pro ſtercore Lipſ. *Admirand. l. 2. c. 6.* urinâ Sveton. *in Veſp. c. 23.* umbra & aëre ſpirituque captando Cujac. *10. Obſ. 7.* vectigalia imponuntur; graviſſima ſanè incommoda inde tam ad Remp. quam ad privatos redundant: *Vid.* R. A. *1576. §.* Dadurch dann. nam fiſcus lienis inſtar eſt, quo creſcente reliqua membra contabeſcunt. Althuſ. *c. 11. Polit.* Keckermann. *1. Pol. 26.* War. ab Ehrenb. *de Oner. ſubd. c. 7. n. 29.* Tondeat quidem pecus Princeps, ſed non deglubat Sveton. *Tiber. c. 32.* qui enim pennas ita incidit, ut nequeant renaſci Cic. *4. ad Att. Ep. 2.* qui rem aufert cum pulviſculo Plaut. *Trucul. Prolog. verſ. 19.* cui ærarium eſt ſpoliarium civium cruentarumque prædarum receptaculum Plin. *Paneg. c. 36. in pr.* illum Actæonem tandem proprii comedent canes; nam potentia avaritia quæſita nunquam diuturna eſt, & videmus audimusque quotidie quam multi Principum pecuniis acerbè conquirendis plus invidiæ ſibi quàm virium addant. Tacit. *Hiſt. 3. 76. 4.* Adde Forſtner. *Not. ad Tac. 4. 71. 1.* *In iis exigendis mediocritas ſpectanda.*

LV. Si aliquando verò ob ſalutem publicam neceſſitati

 eſt pa-

eſt parendum Cic. *1. de Off. c. 23.* & vel nova vectigalia ſunt imponenda vel vetera augenda, tunc æquitati eſt conſentaneum, ut ii audiantur, quorum intereſt, qui nimirum inde detrimentum aliquid vel gravamen ſubire poſſunt: & requiritur inſuper Imperatoris & Statuum permiſſio. Alioquin ſi hæc abſit decernuntur mandata ſine clauſula & de reſtituendo, ſi quid vectigalis acceptum. Nam nec ipſa Imperatoria Majeſtas nova rectè inſtituere vel aliis concedere vectigalia ſine conſenſu Electorum poteſt. *Capitul. Carol V. art. 18. Ferdinandi II. d. 28. Auguſt. A. 1619. & moderni Imper. Auguſti Leopoldi art. 21.* Add. Bacch. *ad Treutl. D. 18. th. 9. litt. c.* Neque enim Gallus neque Hiſpanus niſi ordinum conſenſu illa indicit. Bodin. *lib. 6. de Rep. c. 8.* Comin *lib. 10. Comm. de Reb. geſt. Ludov. II.* Jus tamen jam inſtituta percipiendi permiſſum eſt ab Imperatore Electoribus *A. B. tit. 9.* aliisque Imperii Statibus, Magnificus Dn. Præſes *S. J. F. c. 6. aph. 24.* qui deinde ſuis ſubjectis ea rurſus concedere queunt. Et quemadmodum ſupra de Regalibus Regalis vix dixi, ea non ſolum conceſſione ſed præſcriptione etiam adquiri poſſe, id de vectigalium quoque obſervandum jure: immemoriali enim tempore præſcribuntur etiam vectigalia: quia tam diuturna patientia pro conſenſu habetur. Camman. *de J. Maj. D. 11. th. 36.* Buchner. *de re & jur. Aquat. th. 133. 137. 138.*

Quis vectigalia inſtituat.

LVI. Excipiuntur à ſupra dictis ſoli Auſtriæ Archiduces, quos peculiari privilegio donatos eſſe, ut nova vectigalia imponere ullius ſine conſenſu poſſint, tradunt Dd. Vid. Sigiſm. Buchner. *d. l. th. 142.* Knich. *de Saxon. non. prov. jur. c. 5. n. 82.* Camman. *d. l. th. 49.*

Quæ à vectigalibus Perſonæ ſint immunes.

LVII. A vectigalibus verò præſtandis nacti ſunt immunitatem (1.) Res exercitui paratæ *l. 9. §. 7. ff. de Publ. & vect.* (2.) Pecunia, Georg. Chriſtoph von Gölnitz *in Gymnaſm. Jur. Regal. Vectigal. c. 3. n. 3.* (3.) Res ad proprium uſum emtæ & transportatæ Bacchov. *ad Treutl. D. 18. th. 9. litt. b.* Wurmſ. *Ex. 6. Quæſt. 15.* quod tamen hodie non ſervari tradit Mævius *ad J. Lubec. p. 3. t. 6. art. 3. n. 8. & 9.* (4.) Navicularii illi, qui publicæ annonæ vehendæ operam impendunt *t. t. C. de Nav. ſeu naucler. publ. ff. tunq. l. 5. §. 3. de Jur. immun.* (5.) Exterarum gentium legati *l. 8. C. de*

C. de Vectig. ut & Præſidis Provinciarum *l. 8. §. 1. de Publ. & Vect.* & exemplo horum Cameræ, Principum, Parlamentorum & prædictarum Majeſtate Rerump. officiales, Aſſeſſores & Conſiliarii R. A. *de A. 1500. §.* Item ſollen auch Churfürſten. (6.) Perſonæ Illuſtres, Generoſæ & Nobiles Wurmſer. *d. l. quæſt. 14.* (7.) Eccleſiæ, Hoſpitalia & Perſonæ Eccleſiaſticæ *c. quanquam de Cenſibus in 6. l. 5. C. de SS. Eccleſiis, Auth. Nulla C. de Epiſc. & Cler.* Magnificus Dn. Præſes *in Prælect. Publ. ad C. Tit. de SS. Eccleſ. in fin.* (8.) Doctores, Profeſſores & Studioſi, *arg. Auth. Habita C. Ne fil. pro patr. & ibi* Magnificus Dn. Richter. Bacchov. *d. l. litt. e.* Add. Magnificum *Dn. Præſidem Ex. 39. th. 47. & 48.* Stypm. *de J. marit. & naut. p. 5. c. 3.*

LIIX. Ne autem cō querendi habeant materiam Studioſi, ſi impii & avari publicani privilegium hocce non attendant, ſed allegantibus *d. Auth. Habita,* imperioſè reſpondeant, habita ubi vis & ſolve; Horat. Luc. *de Privil. Scholar. Priv. 55.* inſtruant ſe litteris teſtimonialibus & bulletis, quæ ipſos ſtudioſos eſſe probent. Joh. Köppen. *quæſt. 50. n. 13.* Warem. ab Ehrenberg *de Oner. Sub. c. 12. n. 10.*

LIX. Quoniam jam mentionem publicanorum fecimus, ſciendum eſt illos hoc notari nomine, quibus vectigalia locare ſolent Principes, uti apparet ex *t. t. de Publican.* & inde etiam Conductores *l. 1. § 1. l. 12. § 3. l. 13. pr. § 1. d. t. l. 16. & 17. de V. S.* & mancipes *l. 11. C. de Vectigal. l. 53. ff. Locat.* appellantur. Defertur verò vectigal illi qui ſuperior in licitatione extitit *l. 4. C. eod.* dum tamen idoneam ſatisdationem per fidejuſſores præſtet. *l. 9. pr. ff. de Publican.* *Publicanorum deſcriptio.*

LX. Neceſſe autem eſt conducentem eſſe Patremfamilias. Hinc ſe pro patrefam. gerit, qui filiusfam. ea conducit. *l. 3. §. 1. ff. ad SCt. Macedon.* Tutoribus verò & Curatoribus minorum ante rationes redditas ea locari haut poſſunt *l. 49. Locati l. unic. C. Ne tut. vel cur. vect. cond. l. 42. de Adm. Tut. l. 1. §. 9. ff. ad L. C. de falſ.* mulier tamen ea rectè conducet *l. 47. pr. de Jur. Fiſc.* Et cum certas penſiones vectigalium ſolvere conductores oporteat; quib. non ſolutis, tempore conductionis licet nondum completo, pelluntur, vel uſuræ ex mora ab iis exi-

guntur *l. 10 §. 1. de Publ.*, pertinent quoque ad eos non ſolùm omnes reditus ſed & commiſſa, licet eorum non facta fuerit mentio *l. 11. C. de Vect.*

Tenetur Publicanus ob vim, furtum, damnum & illicitum exactionem peculiari actione.

LXI. Et hinc cum Publicanorum plerumque eſſet ſtudium omnem hominem natum decoriare, ut loquitur Archiloch. apud Athenæum *lib. 3. c. 24. pr.* iccirco ad compeſcendam eorum audaciam & avaritiam, peculiare Prætor edictum propoſuit. *l. 12. pr. de Publ. l. 5. in f. C. eod. l. 4. C. de vect. nov. inſtit. non poſſ.* Unde datur actio Prætoria, quâ Publicanus, ſi ipſe, vel ejus juſſu illius è familiâ vel miniſtris ejus aliquid illicitè, licet citra vim exegerit atq; res reſtituta non fuerit, intra annum in duplum, poſt annum in ſimplum condemnatur *l. 1. pr. §. 1. l. 9. §. 5. ff. de Public.* Warnem. ab Ehrenb. *de Oner. ſubd. c. 14. nu. 3.* Obrecht. *de Regal. th. 446. & ſeq.* In duplo autem ipſius rei perſecutio ineſt. *l. 5. §. 1 d. t.* Quodſi multi conductorum eodem ſe contaminaverint delicto, omnes ſimul & quilibet pro virili tenentur portione, ita tamen, ut pro non ſolvendis idonei conveniantur, *l. 6. l. 46. §. 5. ff. de J. Fiſc.* & ſi vi adhibita illicita extorſerint, tunc inſuper extraordinem plectuntur *l. 9. §. 5. de Public.* Add. Magnif. Dn. Præſes *Ex. 39. th. 35. & ſeq.*

Vectigal fraudantis res in commiſſum cadunt.

LXII. Cum autem legitima vectigalia fraudans Deo delinquat & mundo, *Barth. l. 10. in pr. C. de vectigal. Bald. l. 2. n. 2. eod. & l. 2. n. 4. ff. de J. & J. & c. 1. n. 2. Quæ ſint Regalia. & ibi Aſſiſt.* Matth. Coler. *de Proceſſ. Execut. 1. c. 3. n. 80.* merito res prætervehentis der den Zoll verfähret / non tantum arreſtantur vel pignorantur Coler. *d. c. 3. n. 74.* ſed & in commiſſum cadunt *l. 8. l. 14. l. fin. ff. de Public.* etiamſi paratus deinceps fuerit vectigal ſolvere *l. 16. §. 3. & 12. eod.* Si partem verò ſaltem earum reticuit, non omnes, ſed duntaxat illa pars committitur Petr. Frider. *de Mand. c. 43. n. 15. & 24.* Treutl. *2. 18. 9. 6.* Quod de vectigali tamen licito & conceſſo intelligendum: Illicitum enim impunè non ſolvitur, ſed ſi ſolutum repeti poteſt. Einſiedel. *Tr. de Regal. c. 2. n. 277.* Qui verò ignorans vectigal ibi inſtitutum eſſe non ſolverit, mitius punitur, & duplicata tantum Gabella ab ipſo exigitur: Knich. *de Saxon. non prov. j. c. 5. n. 82.* Bachov. *ad Treutl. D. 18. th. 9. litt. d.* ſicut nec ille pœna commiſſi, qui via inſo-

Digitized by Google

inſolitâ utitur, obnoxius ſit *l. 3. C. de Naut. Fam. l. 2. C de Curſ. publ.* Joh. Köppen *quæſt. 50. n. 25.* niſi animus deſraudandi, qui hinc præſumitur Cravett. *conſ. 115. n 5.* pateat. Maſcard. *de Probat. concl. 475.* Conf. Mindan. *de Interd. Tit. 5. n. 19.* In fraudem enim vectigalium non licet alias vias quærere, ſed regalis via ſervanda eſt. Legantur ſeveriſſima edicta Electorum Saxoniæ, wegen der hohen Landſtraſſen aus Pohlen und Schleſien gegen Leipzig/ *de An. 1607. 1652. 1654. in corpor. Jur. Saxon. vol. 1. pag. 168.* Nihil autem intereſt, an à Mercatoribus ipſis, an vero ab aurigis quos conduxerunt aut ab Inſtitoribus vectigal non ſit ſolutum, eodem enim modo res committi affirmamus *arg. l. 23. fin. ff. de minor. l. 5. §. 4. ff. Naut. caup. ſtab.* contra Bocer. qui negativam defendit *de Regal. c. 2. n. 211.* ita tamen ut Domino ſalva ſit, contra illos mandati actio Mindan. *2. de Mand. c. 43. n. 8.* Roſenth *de Feud. c. 8. concl. 39. litt. d.*

LXIII. An verò ipſo jure res in commiſſum cadat, Quæritur? Quod affirm. *per l. 14. l. 16. §. 10. ff. de Public. l. 2. C. de vectigal.* quamvis ob partis contradictionem ad poſſeſſionem conſequendam declaratoria Judicis ſententia, per quam poſſeſſori poſſeſſio auferatur, alterique adjudicetur quandoque opus ſit *l. 7. C. de J. Fiſci, ubi Cujac.* Hartm. Hartm. *lib. 2. t. 48. obſ. 1. n. 13.* Treutl. *2. 18. 9. d.* ibique Bacchov. Rol. à Valle *5. conſ. 24.* Gail. *2. o. 51. n. 5. & 2. de P. P. 3. n. 11.* Coler. *de Proceſſ. Exec. p. 1. 3. 3. n. 84.* Sigiſm. Buchner. *de re & jur. æquat. th. 159.* Stypman. *de J. Marit. & naut. p. 5. c. 2.* Atque hinc perſequi res commiſſæ inſtituta rei vindicatione poſſunt, tam ab ipſis principalibus, quam nomine eorum à præpoſitis *l. 14. ff. de Publ.* Sichard. *ad tit. C. de Vectig. n. 11.* intra quinquennium; hoc enim tempore finito, finitur *l. 2. C. de Vectigal.* Confer Gothofr. *in h. l.* Jure Saxonico pœna commiſſi mutata eſt in quadruplum vectigal. Land R. *art. 27. lib. 2. in pr.* *Ipſo jure.*

LXIV. Gravius verò punitur prohibitas exportans vel importans merces: e. g. qui ferrum & frumentum & ſales hoſti advehit *l. 11. ff. de Publ. & vectigal. ibid. Gothofred.* Non ſolum enim hæ res in commiſſum cadunt, ſed proditionis etiam incurrit crimen, qui doloſè impedit, quò minus hoſtes ſubigan- *Pœna prohibitas exportantis merces.*

tur *l. 4. ff. ad L. Jul. Maj.* & licet quis negotiationis tantùm exercendæ gratia, prædicta hoſti communicaverit, pro proditore tamen nihilominus habetur ab Imp. Marciano *in l. 2. C. quæ res exp. non deb.*

LXV. Ne autem immanes nimis ſimus idem de iis etiam ſtatuentes, qui ſine dolo nonnullas hoſti res ſubminiſtrant, diſtingvimus cum Hug. Grotio *lib. 3. de J. B. ac P. c. 1. n. 5.* inter res ipſas: ſunt enim quæ in bello tantum uſum habent, ut arma: ſunt quæ in bello nullum habent uſum, ut quæ voluptati inſerviunt: ſunt quæ & in bello & extra bellum ancipitem uſum habent, ut pecuniæ, commeatus, naves: de illis verè ad Juſtinianum dixit Amaleſuintha Longobardorum Regina, in hoſtium eſſe partibus, qui hoſti ſubminiſtrat neceſſaria: Procop. *1. bell. Goth.* iſti ſine detrimento hoſtibus concedi poſſunt: emolliunt enim eorum feritatem & fœminas eos reddunt imbelles, quod ipſum Darii turba muliebriter propemodum culta, luxu magis quam armis conſpicua Curtius *lib. 3. c. 3.* & Pœnorum Annibal. *Flor. lib. 2. c. 6.* abunde ſatis acerbis ſuis conteſtantur funeribus. In his diſtingvendus eſt belli ſtatus.

Securitas tranſeuntibus præſtanda.

LXVI. Pro onere hoc vectigalium & ob tantam in eorum fraudatores pœnam conſtitutam, etiam ſecuritas tranſeuntibus eſt præſtanda, & damnum à prædonibus illatum à Domino territorii ac vectigalis reſarciendum *arg. l. 3. ff. de Off. Præf. j. l. 44. ff. Mand. l. 2. C. de Admin. Rerump.* Gail. *2. obſ. 64.* Henr. Klock *Diſc. de J. vectigal. th. 78.* Mindan. *de Interd. Tit. 3. n. 7.* quod & de J. Saxonico & in Gallia obtinet Chopp. *de Leg. Academ. c. 59.* & per *Receſſ. Imper. de A. 1559.* confirmatur. Nam ſecundùm naturam eſt eum ſequi incommoda, quem ſequuntur commoda *arg. l. 10. ff. de R. J. c. qui ſentit de R. J. in 6. §. placebat in fin. J. de Leg. agn. ſucc.* & abſurdum eſt alium commoda habere, alium onera ſuſtinere, ut ait Paul. *in l. 15. §. ult. ff. de Leg. præſt.*

LXVII. Procedunt tamen jam dicta tum demum I. ſi Mercator vel auriga non per inſolitam provectus ſit viam, *arg. l. 1. §. 1. ff. de his qui effud.* Knich. *de Saxon. non pr. j. c. 6. n. 82.* II. Si ſolito tempore non noctu *arg. l. 1. §. 18. ff. ad SC. Sylan.* III. Si

viator

Digitized by Google

viator vectigal legitimum non defraudaverit, Bernh. Græve *ad Gail. lib. 2. concl. 64. n. 6. & 19.* IV. Si territoriales Domini tantâ polleant potentiâ, ut vi reſiſtere latronum poſſint, ad impoſſibilia enim nemo obligatur *l. 185. ff. de R. J.* Damnum autem rapinæ non juramento ſed teſtibus probetur. Mynſing. *Obſ. 71. Cent. 5.* Hodierno jure hæc non ſervantur, ut tradit Stypmann. *de J. marit. & naut. p. 5. c. 1.*

LXVIII. Deinde pro exſolutis vectigalibus per territorium ſuum peregrinantes ſecurè deducere debet Princeps, quod jus, poteſtatem plenæ & abſolutæ ſecuritatis Bocer. *c. 2. de Regal. n. 255.* jus ſalvæ gvardiæ Menoch. *Conſ. 29 n. 23.* ſalvi conductûs Althuſ. *Pol. c. 7.* teſſeram publicæ ſecuritatis Zaſ. *Epit. Feud. p. 5. n. 11.* jurisdictionem gabellariam, Gleidliche Obrigkeit, die Gerechtigkeit auf freier Heerſtraſſen zu geleiten/appellant. Pertinebat hoc jus vetuſtis temporibus ad Jura Regia, uti patet ex ſacris *Gen. 12. in fin.* hodie verò jus conducendi competit Domino territorii R. A. zu Augſpurg *de A. 1548. §.* ferner zu noch mehrer/ *in verb.* Eine jede Obrigkeit im H. Reich Teutſcher Nation in ihren Fürſtenthum/ Landen und Gebieten; *& ibi* frei ſicher genugſam Geleit geben/ Ziegler *in §. Landſaſſii concl. 1. n. 60.* & Weſenbec. *Conſil. 33. n. 3. & 10.* Excipitur caſus ſi vel ex præſcriptione vel alio ſpeciali jure hoc conducendi jus etiam in alius territorio Princeps ſibi acquiſierit, quemadmodum Landgravius Haſſiæ, qui per Wedderaviam, non attentâ ſuperioritate territoriali, quæ ad Moguntinum, Comites Solmenſes, Hanawienſes, Iſenburgicos & alios pertinet, item per civitates Imperiales Fridbergenſem & Wetzlarienſem conducendi jure gaudet. Similiter Elector Moguntinus in Haſſiæ Principum territorio per quendam Diſtrictum Darmſtadinum ſive ſuperiorem comitatum Catimelibocenſem, die Bergſtraſſe herab auf Franckfurth/ hoc jure utitur, *Vid. A. B. tit. 1. pr.* Wurmſer. *Ex. 6. th. 23.*

Jus conducendi.

Cui hodie competat.

LXIX. Et hinc Salvo conductu præditos offendens crimen incurrit læſæ Majeſtatis. Quod tamen ad violationem ſecuritatis à Cæſare conceſſæ cum Franciſc. Hercul. *in tr. de Caut. non off. c. 10. n. 2.* Domin. Arumæ. *Diſc. Academ. ad A. B. 1. th. 18.*

Salvum cõductum offendentis pœna.

Digitized by Google

Dn. Carpz. *Pr. crim. quæſt. 112. n. 16.* reſtringo; ſi enim inferioris fortunæ hominis conductus quem ratione territorii ſui præſtitit, violatus fuerit, quia nullam Majeſtatem ille habet, delinquens pro arbitrio judicis mitiori pœna plecti debet. Farinac. *l. 1. tit. 4. quæſt. 29. n. 14.* Coler. *p. 4. de Proceſſ. Exec. c. 1. n. 191.* Requirimus autem inſuper ut fides publica violetur in contemtum Principis, eoque animo, ut principi injuria inferatur Boſſ. *de Crim. Maj. n. 10.* aliàs qui offendit eum, qui publicâ fide tutus eſt, non offendit Majeſtatem Principis, ſed hominem privatum; adverſatur quidem mandato & voluntati ſuperioris, ſed reus Majeſtatis non efficitur, alioqui omnis, leges Principum violans, crimen hoc incurreret, quod verò perabſurdum.

Quibus præſtetur. LXX. Optimè verò in Imperio Romano receptum eſt, Civitatibus, earumve legatis ad ordinarias & ſolennes nundinas vel ſtatibus Imperii ad Comitia Imperialia euntibus ſalvos conductûs dari: quod ipſum aperte patet ex Joh. Oettinger *in tr. de Jur. & Controv. limit. l. 1. c. 9. n. 24.* cujus verba videantur ap. Magnificum Dn. Præſidem *S. J. F. c. 6. aph. 23 n. 1.* Add Mindan. *de Interd. Tit. 3. n. 71.*

LXXI. Quæritur hic: An Electoribus eorumve Nuntiis etiam per viam inſolitam euntibus, talis conductus præſtandus ſit, adeo ut ſi ſpoliati fuerint, damni emendationem à Domino territorii jure petere poſſint? Quod affirmamus, modò ſignificata via, quâ tranſire ipſis lubuerit, conductum petierint: expreſsè enim ita conſtitutũ eſt in *A. B. c. 1 §. volumus autem ut unusquisq;.* Præterea dicta confirmat, quod Elector conductum per viam inſolitam ducentem non eſſet poſtulaturus, niſi commoditatis ſuæ id faceret gratia, quæ utique ipſi adimenda non eſt Rumel. *ad A. B. diſcurſ. 2. th. 8.* Si verò conductum petere intermiſerit, ac nihilominus per vias inſolitas iter tulerit, ſuo hoc fecit periculo & emendationem damni ſpoliatus à Domino territorii petere haut poterit Mynſing. *Cent. 5. Obſ. 70. n. 4.* Gail. *lib. 2. Obſ. 64. n. 12.*

LXXII. An verò ſalvus conductus conceſſus ad eundum, redeundi quoque facultatem contineat? etiam controvertitur? Et quidem ſi ſermo de conductu Electoribus aut eorum nun-

ciis

ctis præſtando, inſtituatur; id haut dubiè affirmandum erit, eſt enim textus expreſſus *in A. B. c. 1. §. decernentes, & §. ſi verò.* De conductu autem ad judicium veniendi reo datus (quæ incidens magis & extranea hic eſt controverſia) major eſt dubitatio. Quoniam tamen is, qui ſalvum conductum petiit à Principe, totum ſe fidei Principis commiſiſſe videtur, ſub quâ nemo decipi debet *arg. l. 1. C. de his qui ven. at. imp. l. venire §. in bonis ff. de bon. auctorit. judic. poſſid.* affirmantium opinioni album adjicimus calculum. Non ſolùm enim quid concedens in fidei aut ſecuritatis promisſione, verùm etiam quid recipiens veriſimiliter cogitaverit inſpiciendum. Menoch. *de A. J. Q. c. 336. n. 15.* De reditu autem recipientem cogitâſſe, extra dubitationem eſt; venire enim ſine ullâ promisſione potuiſſet. Et ſi in privatorum etiam pactis iter eundi jus redeundi quoque ſemper contineat *l. 5. ff. de Sepulcr. Viol. l. 10. ff. de Rel. & Sumt. fun.* jusque commeatus & remeatus conjungatur *l. 4. in fin. ff. de Pœn.* quare non etiam in Principum promisſionibus, in quibus exuberantior bona fides requiritur, ut ex Bald. Decian. & aliis refert Andr. Knich. *de veſtit. Pact. P. 2. c. 5. n. 221.* Hoc tamen bene obſervet judex ne hujusmodi ſalvum conductum facilè permittat, ſed tum demum, ſi ex præviâ inquiſitione liqueat probabiliter, delinquentem innocentiam probare poſſe. Cunrad. Ritterſch. *in Tr. de jur. aſyl. c. 7. n. 14.* Add. Bodin. *l. 5. c. 6. n. 606.*

LXXIII. Sed unum hoc loco non eſt diſſimulandû, quod ex viarum Regalium jure fluit, poteſtas nimirum inſtituendi curſus publicos Arniſ. *de J. Maj. lib. 3. c. 5.* Eos vocamus Poſt/ iisq; præfectos Poſtmeiſter & eorum miniſtros Poſtilion, Limn. *de J. P. lib. 2. c. 9. n. 133.* Poſten dicuntur, quaſi poſiti collocatique certis in locis & ſemper in procinctu excubantes Baſil. Faber *in Theſaur. verbo Angaria.* Hos magnus Cyrus Perſarum Rex primus inſtituit, ut celerius ſcire poſſet, quid per vaſtum ſuum Regnum ageretur, cum enim conſideraſſet quantum itineris equus agitatione diurnâ conficere viribus integris poſſet; equorum ſtabula parari curavit, & in eis equos conſtituit, cum illis, qui eorum curam gererent. Ordinavit & quovis loco

Jus Poſtarum.

Ejus Autor Cyrus.

hominem, qui tum ad recipiendum litteras allegatas, tum ad tradendum eas aliis idoneus eſſet, quique defatigatos equos & homines exciperet & recentes ſubmitteret. Xenoph. *lib. 8. de Cyr. inſtit.* Cyrum imitati ſunt Græci: ex Herodoto enim liquet, ab iis certos nuncios in viis regiis conſtitutos, qui mutuas ſibi operas præſtabant & ſuorum Principum incredibili celeritate edicta deferebant, vocabantur Hemerodromi.

LXXIV. Fallere itaque videmus Orland. Malavoltam *in Hiſt. Senenſ.* ab Auguſto curſorios equos diſponi cœpiſſe ſcribentem. Licet enim & hic curſus publicos inſtituerit ut in eo ſcribit Sveton. *c. 49.* tamen idem longè ante eum fecêre Cyrus & Græci. Secuti Auguſtum ſunt deinceps perplurimi Imperatorum, qui hoc jus ſibi ſolis & Præfecto Prætorio, nec non viro Illuſtri Magiſtro officiorum reſervarunt. *l. 9. C. de Curſ. Publ.* Abrogatis verò ſequenti tempore his officiorum generibus, dicta poteſtas ap. ſolum remanſit Imperatorem, indeque ad reſervata ipſius fuit relata Limnæus *de J. P. lib. 2. c. 9.* Unde & hodie ſolus Imperator curſus publicos, qui per Imperium ſunt ordinati, die Ordinar Poſten/ inſtituit. Magnificus Dn. Præſ. *S. J. F. c. 6. Aph. 25.* Cujac. *ad pr. Tit. C. de Curſ. Publ.* Thom. Michaël. *Tr. de Jurisd. th. 12. b.* Quod licet quidam in controverſiam vocent, ſeverum tamen eſt interdictum, quod cuidam generales per Belgium & Italiam poſtas propriis ſumtibus adornanti factum eſt, referente Arnold. Clapmar. *lib. 1. de Arc. Rerump. c. 11.* Magiſtri quoq; poſtarum officium ab Imperatore cōfirmatum, & reliquis privatis & civitatum poſtis Metzger Poſt und Nebenboten/ generali diplomate interdictum eſt. Matth. Steph. *de Jurisd. l. 2. c. 1. memb. 1. n. 112.* Sixtin. *de Regal. l. 2. c. 13. n. 42.* Thom. Michaël *d. l.* Privatos verò curſores habere inferioribus permiſſum. Reink. *de R. S. & E. l. 1. cl. 5. c. 6. n. 138.*

Pertinet ad Reſervata Imperatoris

LXXV. In Regnis Galliæ, Britanniæ & his vicinis illuſtri ſtirpe oriundus à Principe conſtituitur Præfectus, cui in omnes veredarios Imperium eſt, pertinetq; ad eum omne ex iſto munere proveniens commodum. Vicisſim tamen omnes ſuſtinere ſumtus & ſalaria curſoribus exſolvere, Principisque & Legatorum ejus ubique exiſtentium litteras curare cogitur. In Hiſpania

nia Si-

nia & Belgio hoc munus in præmium probè navatæ operæ eſt hæreditarium. Garc. Tolet. *ad Tit. C. de Curſ. Publ. n. 6.*

LXXVI. Vario autè olim publici curſores indicandi modo uſi ſunt. Apud Gallos ubi major atque illuſtrior res incidebat, clamore eam per agros regionesque ſignificabant, hunc excipiebant alii & proximis tradebant. Cæſar. *l. 7. de Bell. Gall.* Perſæ per incenſas in omnibus Regni ſublimibus locis faces, uno die Imperatori indicabant, quod erat ſcito opus. Apulej. *lib. de Mund.* Romani plerumque mutatis animalibus currebant. Cæſ. *lib. 3. Bell. Civ.* Capitolin. *in Maximin.* Livius *in Bell. contr. Antioch.* Alii incredibili quorundam mortalium utebantur velocitate, de quorum ſtupendo curſu lege ſis Eruditiſſimam Summi Lipſii Epiſtolam *59. Cent. 3.* *Modus curſorum publicorum indicandi.*

LXXVII. Noſter curſus hodie per brevia intervalla equis diſpoſitis & in omnem horam paratis, qui quocunque lubet currunt, dirigitur, & exiguo atque anguſto tempore, auguſta & magna ſpatia curſores emetiuntur. Perez *ad Tit. C. de Curſ. Publ. n. 19.* Quod quantum Reip. afferat utilitatis, experientia teſtatur. Per hos enim Mercatorum augentur opes, fiſcus benè nummatus redditur & Reip. ſalus conſervatur. Per hos quid in quolibet terrarum orbis geratur angulo Princeps intelligit, motus gliſcentes compeſcit, mandata dat ſubditis. Per hos Magiſtratus ſua ad Principem obſequia atq; reſponſa deferunt, Legati arcana Magnatum explorata Dominis ſuis nota faciunt, & ut paucis multa comprehendam; omnes beneficio iſto celeritatis deſideria ſua & ſollicitudines expediunt. Vid. Clapm. *de Arc. Rerump. lib. 1. c. 21.* Kekkerman. *1. Syſt. Polit. 21. fol. 342.*

LXXVIII. Hi fuère curſus, quos propter viam fecimus: in hanc ut redeamus monet Prætor quatuor ſua de Locis & viis publicis nobis proponens Interdicta, quæ ita ſe habent: *Interdicta Prætoris.*

I. *Ne quid in loco publico facias, inve eum locum immittas, qua ex re quid illi damni detur, præterquam quod Lege, SCto, Edicto, Decretove Principum tibi conceſſum eſt. l. 2. pr. Ne quid in l. p.*

II. *In via publica, itinereve publico facere, immittere quid, quo ea via, idve iter deterius ſit, fiat, veto. d. l. 2. §. 20.*

III. *Quod in via publica itinereve publico factum, immiſſum habes, quo ea via, idve iter deterius ſit, fiat, reſtituas. d. l. 2. §. 35.*

IV. *Quo minus illi via publica, itinereve publico ire, agere liceat, vim fieriveto. l. 2. §. 45. Ne quid in l. p.*

LXXIX. Pertinebat ad Prætores non ſolùm executio Juris Civilis, ſed etiam ſicubi deficeret vel iniquum fortè ac nimis rigidum videretur, ſuppletio & correctio iisdem mandata erat. *§. 1. I. de Bon. poſſ. Add. l. 2. ff. de O. J. l. 8. ff. de J. & J. N. 24. in pr.* Rittersh. *Comm. ad §. 7. I. de J. N. G. & C.* Hinc cum de locis Publicis Civile Jus certi nihil ſtatuiſſet, & nihilominus tamen eorum incolumitas Urbi Conſummatiſſimæ non ſolum multum decoris afferret, ſed ſummè etiam neceſſaria eſſet, Prætor Interdictis his prohibuit omnem illicitam in publicis locis ædificationem, inve eum immiſſionem & tam publicis utilitatibus, quam privatorum per hoc proſpexit. Magnificus Dn. Præſes *Ex. 54. th. 58.* Loca enim publica utique privatorum uſibus deſerviunt, jure ſcil. civitatis, non quaſi propria cujusque, & tantum juris habemus ad obtinendum, quantum quilibet ex populo ad prohibendum. *l. 2. §. 2. Ne quid in l. p.*

Cui & adverſus quē detur.

LXXX. Dantur hæc Interdicta cuilibet de populo, (omnium enim & ſingulorum loca publica defendi intereſt *d. l. 2. §. 1.*) contra eum qui tentat aliquid facere, quo damnum, viâ ad cōmeandum corruptâ Magnif. Dn. Præſes *Ex. 54. th. 64.* vel exempto commeatu Mindan. *de Interd. Tit. 3. n. 56. & ſeq.* detur ſive ſtatim, ſive poſtea *d. l. §. 31.* volenti pro more uti loco publico, quo nemo prohibendus *l. 2. §. 1. eod.* niſi fortè id ipſi Princeps conceſſerit *l. 2. §. 16. Ne quid in l. p.* Qui tamen quoties aliquid in publico fieri permittit, ita debet permittere, ut ſine injuria ſive incommodo cujusque fiat *d. l. §. 10. 16.* Mindan. *de Interd. Tit. 3. n. 38.* Si verò quis ſine permiſſu ſuperioris omni prohibitione ſpreta perfecit gravamen, tunc adverſus eum ex reſtitutorio agitur, ſi id quod factum eſt, poſſideat. Sin autem alius fecerint, alius factum habeat, vel ex cauſa emtionis, vel conductionis, vel legati, vel hereditatis, vel cujuslibet alterius tituli; tunc is conveniendus eſt qui habet vel poſſidet, niſi faciens opus dolo malo deſierit poſſidere. Etenim parem eſſe con-

ditio-

diſionem ejus, qui quid poſſideat vel habeat, atque ejus, cujus dolo factum ſit, quo minus poſſideret vel haberet dicit Ulpianus *in d. l. 2. §. 42.* Qui verò pro derelicto reliquit id opus quod fecit, & quo viam Regalem corrupit, contra illum etiam utile interdictum datur *§. 39. eod.* ſicut & adverſus eum, qui in mæniano ſuò velum immiſſum habet, quod in publicum portenſum vicini luminibus officiebat *l. 2. §. 6. Ne quid in l. p.* Utili etiam interdicto tenetur is, cujus culpa arbor in viam Regalem ſic cecidit, ut itineri ſit impedimento, ſi videlicet pro derelicto habitam ob ſumtus & labores in ea tollenda collocandos, nemo tollere cupiat: quod etiam in ædibus obtinet, quæ ruina collapſæ, viam publicam occupant; aliàs ſi extra magnam culpam tale quid accidat, & arborem vel rudera pro derelictis habeas, tunc in deciſione *l. 2. §. 40. Ne quid in l. p.* acquieſcendum. Add. Mindan. *d. l. n. 53.* Contra prohibentem verò aliquem in mari piſcari aut navigare, non dabitur interdictum. Quemadmodum nec contra eum, qui in campo ludere vel in publico balneo lavare, aut in theatro ſpectare aliquem prohibet, ſed in caſibus his omnibus injuriarum actione utendum eſt. *l. 2. §. 9. Ne quid in l. p.*

LXXXI. Si autem quis nemine prohibente in publico ædificavit, non eſt cogendus tollere, ne ruinis urbs deformetur, quia prohibitorium eſt interdictum, non reſtitutorium. Ubi verò hoc ædificium publico uſui non obeſt, is, qui operibus publicis Procurator eſt, ei debet ſolarium imponere, h. e. vectigal, ex eo dictum quod pro ſolo pendatur. Magnif. Dn. Præſes *Ex. 54. th. 61.*

LXXXII. Dantur hæc Interdicta ad id ut opus in publico non fiat, & de eo caveatur *d. l. 2. §. 18. in fin.* atque reus tantum ſolvat quanti actoris intereſt, non fuiſſe impeditum uſum loci publici *l. 2. §. 34. ff. ne quid in l. p. j. l. 15. §. 7. quod vi aut clam.* & hoc quidem ex interdicto prohibitorio. Reſtitutorium enim ut opus factum ſive immiſſum reſtituatur, requirit. Reſtituere autem videtur qui in priſtinum ſtatum reducit, aut tollendo id quod factum eſt, aut reponendo id quod ſublatum eſt in detrimentum loci publici, & quidem interdum ſuo ſumtu: nam ſi *Ad quid dentur.*

ipſe fecerit, vel juſſu ejus alius, aut ratum habuerit quod factū eſt, ſuis ſumtibus debet reſtituere; ſi vero nihil horum intervenit, ſed habet factum, tunc dicemus, patientiam ſolam eum præſtare debere *l. 2. §. 43. ne quid in l. p.* quodſi non reſtituatur, condemnatio ex eo facienda eſt quanti actoris interſit tolli, quod factum eſt *d. l. 2. §. 44*

Non ſunt temporaria. LXXXIII. Cum itaque hæc interdicta ad publicam pertineant utilitatem, ea non eſſe temporaria cum Conſulto *in d. l. 2. §. 44.* concludimus. Quod & inde firmamus, quia contra naturam popularinm actionum *l. fin. ff. de pop. act.* & hæredibus & in hæredes dantur.

In quibus reb. ceſſent. LXXXIV. Ceſſant hæc Interdicta (1.) in viis locisve urbicis Dn. Hahn. ad Weſenb. *Tit. ne quid in l. p.* harum enim cura initio ad Cenſores Cic. *lib. 3. de LL.* deinde Ædiles Georg. Eberlin. *de O. J. c. 21. & 25.* & tandem ad Curatores Sveton. *in Aug. c. 37.* pertinebat. (2.) In iis quæ ſunt in fiſci Patrimonio *l. 2. §. 4. Ne quid in l. p.* Dn. Hahn. *d. l.* Res enim fiſcales quaſi propriæ & privatæ Principis ſunt. Igitur ſi quis in his aliquid faciat, nequaquam hoc interdictum locum habebit, ſed ſi fortè de his ſit controverſia, Præfecti eorum judices ſunt Magnif. Dn. Præſes. *Ex. 54. th. 58.* Et quamvis quidam in allegata *l. 2.* legendum putent Præfecti ærarii, tamen hoc erroneum eſſe inde liquet, quod Præfectis ærarii reditus & pecuniæ fiſci potiſſimum curæ erant in ipſa urbe per *l. 42. de J. Fiſci.* hic autem de locis, quæ extra civitatē ſunt loquimur, in quibus Imperatores Præſides ſuos & Procuratores habebant. Mindan. *de Interd. Tit. 5. n. 14.* (3.) Si per publicum locum aquæductus privato nocebit: huic enim datur actio ex *L. XII. tabb.* ut de noxa Domino caveatur. *l. 5. ff. ne quid in l. p.*

Concluſio. Sed ancoram jacio: video enim Diſcurſus mei flacceſcentis vela portum appuliſſe. Tua Lector Benevolens humanitas conatui huic meo audaci potius quā felici gratiam faciet, Erroresque meos amiciori oculo agnoſcet; omnium namque memoriam habere, & penitus in nullo peccare, Divinitatis potius eſt, quàm humanæ imbecillitatis. *Conſtit. Tantæ §. 14. de Confirmat. Digeſt.*

S. D. G.

Ad

Ad Eximium Politiſsimumq́;
DN. JOH. GEORG. FRANTZIUM, J.U. Cult.
Strenuum,
Cathedram Juridicam conſcendentem.

JUridicam intrepidus dum ſcandis, Docte, Cathedram,
Applaudo, ac ſtudiis commoda mille precor.
Joh. Ern. Gerhardus, SS. Theol. D.
& P.P. h. t. Acad. Rector.

A*onios inter,* Franzi, *qui degis Alumnos,*
Eunomiæ & juſtâ ſedulitate vacas:
Magno jam ſcandis Struvio *ductore Cathedram,*
Dere facturus mutua verba gravi.
Si perges calcare viam hanc, Te larga ſequentur
Præmia quæ nullo ſunt peritura die.
Præſtantiſsimo Dn. Reſpondenti Convictori &
Inquilino ſuo perdilecto grat. ergo deprop.
Johannes Muſæus D. & P. P.

HAcce viâ porro Regali ſedulus acri
Incedas curſu: ſic bene cedet iter.
Palmam præripies, & lætus victor abibis,
Atque Tuum cinget clara corolla caput!
Eximio Dn. Frantzio,
eruditæ Diſſertationis de viâ regali autori, gratulatur
Georgius Adamus Struve/D.

D*Icitur Is meritò vulgi de fæce remotus*
Et nomen ſtellis inſeruiſſe ſuum:
Cui Natura fuit mater, nec iniqua noverca;
Quem gremio Virtus educat ipſa pio;
Et quem Pierides dignantur nomine Fratris,
Et mundi rectrix, cui, favet alma Themis.
His, Franzi *quoniam cunctis Tu macte ſuperbis,*
Et Tua, ne dubita, fama perennis erit
J. Emericus Hirſchberga Sil. Philiater.

WO gehe dein Weg doch hin? Herr Frantz/ nach Wenig-Jene?
Nein: auch nach Zwetzen nicht. Ich weis dein heiſſer Siñ hat

hat einen weitern **Weg**/ als auf die Dörffer hin/
die Schenkken zu beſehn. Hier unſer Saal-Athene
weiſt einen andern **Pfad**. Du läſt auch andre rennen
zur **Lais** nach Corinth: Nein/ nein Demoſthenes
der giebet vor die Reu auch nicht ein einiges.
Wo geht der **Weg** denn hin? Das giebet zu erkennen
dein Weg den du gemacht: Der führt dich auf die Spitzen/
da wo die **Tugend** ſizt. Mich wundert deine **Ruh**
anitzo nun nicht mehr/ weil du ſo renneſt zu.
Wer dir gleich rennen wil/ der muß zu Hauſe ſitzen!

Zacharias Hügel/ aus Schleſien.

SI tantos oriens profert arbuſcula fructus,
Dic mihi, quam meſſem, cana ſenecta feret?
Felix! qui tanto Themidis captatur amore,
Et cujus cœptis ſic favet alma Themis!

Georgius Seidelius.

WIe freie Straſſen ſoll die Obrigkeit verwalten/
Und wem dieſelbigen zukommen oder nicht/
Wie auch Verbrechere auf ſolchen ſind zu halten;
Das ſtellt dein wacher Sinn/ mein werther Freund/ ans Licht.
Du kanſt die kluge Welt hier klärlich ſehen laſſen
Daß unter derer Zahl/ du ja nicht ſeiſt der Letzt/
So da das ſchlechte Volkk gebükkter Seelen haſſen.
Glükk zu! wer lobet nicht was du hier aufgeſetzt.

Georg Kamper/ von Breßl.
beider Rechte Befliſſener.

F I N I S.